DE REGE JUBA REGIS JUBÆ FILIO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

MARIA-RENATUS DE LA BLANCHÈRE

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ NUPER SOCIUS

PARISIIS
APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

DE

REGE JUBA

REGIS JUBÆ FILIO

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

REGE JUBA

REGIS JUBÆ FILIO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

MARIA-RENATUS DE LA BLANCHÈRE

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ NUPER SOCIUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

ILLUSTRI AC BENIGNISSIMO VIRO

MATTHIÆ-AUGUSTO GEFFROY

UNI EX INSTITUTI GALLICI SODALIBUS

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ NUPER MODERATORI

MAGISTRO PRÆSULI PATRONO

PROŒMIUM

DE AUCTORIBUS ET HUJUS LIBRI RATIONE.

Princeps editurus in Gallia librum de Rege Juba Regis Jubæ filio, aggredior opus memoria majorum nostrorum a paucis, nostra a paucissimis, tentatum. Quum enim Juba non rex Mauretaniæ tantum, sed et litterarum cultor rerumque scriptor egregius fuerit, recentiores, forsan eum, ut Plinius apud veteres, studiorum claritate nobiliorem ducentes quam regni gloria, ejus opera potius quam res gestas adierunt. Ita ut per multorum doctorumque virorum operam historia litteraria ejus satis bene nunc nota sit, dum ejus vitæ regnique casus et regionum ubi imperavit eo regnante status propemodum in obscuro jacent. Nos autem, scriptore omisso vel de eo pauca quæ tacere non potuerimus edentes, regis regnique historiam quatenus fieri possit quærimus.

Cujus historiæ quam nunc dicunt *bibliographiam* non profecto reficere, summatim tamen memorare vellem. Multi quidem, dum alia tractabant, aut breviter aut fusius de Juba dixerunt, quorum infra suo loco sententiæ referentur, ut, inter alios : Vossius, *De Historicis græcis* (ed. Westermann, p. 219) ; Bayle, *Dictionnaire historique* (vol. III) ; Reinerus Reineccius, *Histor. Julia* (III, p. 346 et seq.) ; Noris cardinalis, *Cenotaphia Pisana,* pluribus locis ; Eckhel, *Doctrina Numorum Vete-*

rum (vol. IV, p. 160) ; Clinton, *Fasti Hellenici* (vol. III, p. 201, 551) ; Visconti, *Iconographie grecque*, p. 275, not., et *s. v. Juba II*) ; Wernsdorff, *Excursus I ad Avienum* (in *Poet. Min.*, t. V, part. VI, p. 1419) ; Penzel, *Uebersetzung des Dio Cassius II;* Lacroix, *Histoire de la Numidie et de la Mauritanie* (*Univers pittoresque, Afrique ancienne*), atque ipsa Inscriptionum et Humaniorum Litterarum Gallica Academia (*Recherches sur l'histoire de l'Afrique septentrionale*), multi denique alii, qui tamen fere omnes potius partem litterariam tetigerunt (1).

Hanc omnino solamque aggressi sunt nostra ætate plurimi homines, ex quo Heerenius de ea multa et gravissima edidit in opere *De fontibus et auctoritate Vitarum Parallelarum Plutarchi* (Gott., 1820). A quo viam apertam segnius primum, recentissimis autem temporibus acerrime ingressos, inter alios laudare juvat : primum ipsum Heerenium, *Die Ætia des Varro* (*Philolog.*, vol. III, p. 267 et seq.), dein, ut multos omittam recentes tantum commemorans : H. Klapp, *De Vitarum Plutarchi auctoribus romanis* (Diss. Bonn, 1862) ; C. Peter, *Die Quellen des Livius im 21 und 22 Buch*, Progr. Port. 1863) ; C. A. A. Schmidt, *De Fontibus Romuli et Numæ* (Halle, 1863) ; F. Leo, *De Plutarchi quæstionum romanarum auctoribus* (Halle, 1864) ; M. Buchholz, *Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit* (Greifswald, 1865) ; H. Peter, *Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Rœmer* (Halle, 1865), et *Ueber den Werth der historischen Schriftstellerei von Kœnig Juba II* (Meissen, Progr., 1879); Kiessling, *Dissertatio de fontibus Dionysii Halicarnassensis*, et *Rheinisch. Mus.*, 1868, p. 672 et seq. ; Nissen, *De pace a. 201 a. Chr. Carthaginiensibus data* (Marb., 1870) ; G. Soltau, *De fontibus Plutar-*

(1) Lege etiam : *Ersch et Grüber, Allg. Encycl.*, ser. II, t. XXXXVI, p. 3205, auctore Spiro; *Smith, Dict. of. anc. biogr. and myth.*, t. II, s. v. *Juba*, auctore Bunbury ; *Pauly, Real-Encycl.*, *ibid.*, auctoribus West et Cless. Et vide *Antholog. Palat.*, ed. Jacobs, *App.*

chi in secundo bello punico enarrando (Bonn, 1870); L. Keller, *De Juba Appiani Cassiique Dionis auctore* (Marb.. 1872), et *Der Zweite Punische Krieg und seine Quellen* (Ibid., 1875); A. Barth, *De Jubæ* Ὁμοιότησιν *a Plutarcho expressis* (Gœtt., 1876); A. Baumgartner, *Die Quellen des Cassius Dio* (Tüb., 1880); J. C. Vollgraff, *Greeks writers of Roman history* (Leyd., 1880); J, Glæsser, *De Varronianæ doctrinæ apud Plutarchum vestigiis, in Leipziger Studien*, 1881, p. 157 et seq.

Et fuerunt alii non pauci qui aut ad rerum ipsarum historiam indagandam, aut ad ordinem temporum constituendum operam dederint, aut ad rem epigraphicam geographicam numismaticam plus minus contulerint, denique in exquirendis per varios græci latinique sermonis auctores sparsis et in frusta disjectis Jubanorum librorum vestigiis sudaverint.

De quorum omnium meritis alias ubi opus erit disseram (1). Nunc qui de Jubæ vita et rebus gestis instructo opere scripserint aut aliquid novi et pretiosi quod ad rem nostram faciat recentioribus temporibus dederint, breviter est exponendum.

Princeps locum sibi poscit Sevinus abbas, quidquid de Juba nostro tradiderunt veteres colligere et in ordinem redigere conatus sæculo p. C. XVIII ineunte. Cujus opus, *Recherches sur la vie et les ouvrages de Juba le Jeune, roi de Mauritanie*, ann. D. 1717 men. Apr. die VI in Academia Inscriptionum et Humaniorum Litterarum Gallica recitatum (2), diligentis acuti elegantis ingenii est. Latinos græcosque scriptores multa cura excussisse et inter se contulisse doctum et studiosum hominem manifestum est et interdum minus plane minus diserte loquentium solerte ac feliciter per conjecturas aut ratiocinia silentio supplevisse : ita ut vario et

(1) In opusculo quodam quod jam inchoatum teneo, et cui nomen erit. *Le roi Juba historien et archéologue.*

(2) *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, t. IV, p. 457-466.

valentiore instrumento critico armati recentiores eadem quæ ille hariolando ipsi demonstrando sæpius protulerint. At nimia operis brevitas novem paginas non excedentis ignarusque auctor ut numismaticæ sic epigraphices, multo pretium operis minuunt, quum, prope silentibus scriptoribus antiquis, summa rei apud illas quasi omnino posita sit.

Ann. D. 1845, doctus vir nomine Hulleman *Disputationem de Vita et scriptis Jubæ Maurusii*, Trajecti ad Rhenum, edidit. Quam quidem, raro apud doctos laudatam, non habui; sed sententiam ejus Vollgraffius de omni re nobis reddit, contenditque injuria oblivioni datam : jure sane, modo omnia sint qualia quæ ad opera regis spectant. Sed historica ejus pars non ultra, ut opinor, limitem qui tunc erat Jubanis studiis inopia documentorum positus, procedere potuit.

Ann. D. 1847, Germanus homo A. Gœrlitz, fragmenta operum a Juba rege scriptorum quotquot tempus tulerunt Lipsiæ edens, ipsius auctoris vitam addidit, quam sane ad condendam egregie et prospere operam dedit (1), opusque tunc inchoatum ann. D. 1862 altera dissertatione auxit (2). Minus autem ad regem quam ad scriptorem pertinet quidquid novi meliorisque attulit. Ita quoque W. Plagge, thesim *De Juba II rege Mauritaniæ* protulit Monasterii Guestphalorum ann. D. 1849 : in qua optimam congessit locorum ubi de Juba apud veteres recentioresque mentio fit collectionem : profuturum quidem venturis scriptoribus opus, sed quod parum ad Mauretaniæ ipsiusque Jubæ historiam novi aut pretiosi attulit.

Eodem ferme tempore syllogen fragmentorum condebat clarus vir Carolus Mueller in *Fragmentis Historicorum Græcorum* (3) a Didot editis, adjecta de ipso rege optima dissertatione. Sed ea tantum collegit quæ græci

(1) *Jubæ II vita et fragmenta*, 1847.
(2) *Programm des katolischen Gymnasiums in Breslau*, 1862.
(3) Vol. III, p. 465-484.

latinique auctores disertis verbis fatentur ex Juba se mutuatos : alia autem permulta furtim fonte non laudato desumpta nostrorum investigationes in lucem adduxerunt. Hujus tamen paginas aditurus est, si quis Jubæ doctrinam libros sentiendi scribendique rationem exquirere in animo habuerit, et nonnulla ad ipsam historiam ex præmissa dissertatione haurientur.

Regis Jubæ, et uxoris Cleopatræ, et Ptolemæi filii, historiam fecit, inscriptam *Dernière dynastie mauritanienne*, notissimus vir Berbrugger in *Revue africaine*, ann. D. 1861, mens. Mart., Jul., Sept., pauca de auctoribus, plura de titulis, multa de nummis, non omnia feliciter prodens. Sed expertum quam difficile sit homini in Africa degenti ejusmodi studia tractare, dum deest librorum supellex, abest doctorum virorum auxilium, commoda omnia ipsiusque artis instrumenta desiderantur, puderet strenuissimo viro ea ipsa crimini vertere quæ mihi mea in causa etiam attestanda forent. Et utilia nonnulla in Berbruggeri dictis reperies ; omnino denique gratiæ agendæ sunt memoriæ viri, qui per tot annos prope solus Africana studia promovit nec se vivo refrigescere passus est.

Quoniam, deficiente scriptorum testimonio, numismatica præcipuas in comparanda Jubæ regis historia partes agere debet, nullo potius libro utendum est quam eo quem Ludovicus Müller a Falbe et Lindberg inchoatum præclarissime absolvit, *Numismatique de l'Afrique ancienne*. Cujus tertium volumen, ann. D. 1862 editum, quum complures alios, tum Mauretaniæ et Jubæ regis nummos in syllogen absolutam et ut locuplete sic docto commentario instructam dispositos continet. Quantum summo viro rerum Africanarum vetusta memoria debeat notum est, laudesque pretiosissimi operis texendo neque novi neque utilis quidquam efficerem. Vitia tamen et insunt, nec profecto exspectabatur fore hujusmodi opus adeo perfectum atque absolutum ut nihil corrigendum, nihil addendum, nihil eradendum linqueretur. Sunt quibus, ex quo in lucem prodiit, a Muellero tractata

iterum aggressis plus minus a sententia Muelleri abhorrentes sententiæ placuerint, doctissimi homines. De Mommseno jam sum dicturus. De Cavedonio viro illustrissimo dixit ipse Muellerus, postquam semel et iterum rem Jubani regni et temporis numismaticam solita doctrina diligentiaque attigit (1). Additamentorum quoque volumen ann. D. 1874 a Muellero editum excutere nemo prætermittat, qui omnia his de rebus percensuisse voluerit. Nova tamen et posthac quædam dedit ipse casus, ut aureum Ptolemæi nummum Cæsariensem, unicum adhuc et multis modis conspicuum de quo ipse ego in *Bulletin de correspondance africaine*, 1882, fasc. V.

En etiam Mommsen, romanis in rebus scribendis facile trans Rhenum princeps, in *Ephemeride Epigraphica*, 1873, p. 270-276, dum de Pythodoride Ponti regina, quam M. Antonii IIIviri neptem ex filia fuisse demonstrat, disserit, in Cleopatram Jubæ, et necessitudine et aliquatenus sortis similitudine Pythodoridi proximam, incidit. Inde ea *Corollaria de Cleopatra Jubæ* paginis de Ponti regina subjuncta, mira dissertatiuncula, qua plura et gravissima spatio parvo enuntiantur prodeuntque tituli haud mediocris momenti qui nondum innotuerant.

Ultimi tandem occurrunt B. Niese (2) et Fr. Rühl (3) circa *das Todesjahr Juba's II* jam disputatam a multis renovantes controversiam : quorum hic, postquam merito prioris opinionem confutavit quæ Jubam mortuum vivo Augusto faceret, ann. D. 23 recte a Muellero indicatum se quoque credere fatetur.

Horum omnium aliorumque scriptis quomodo usus sim dicendum. Neque enim in animo est omnia quæ de rege Juba reperta aut excogitata sunt colligere et disposita præbere, sed potius, ni vires fallant, ex his regis regnique historiam extrahere. Quo factum est ut jam

(1) *Bull. arch. ital.*, 1863, num. 22, 23 ; *Opusc. relig. e lett. di Modena*, 1863, num. 4.
(2) *Hermes*, XIII, p. 35 et seq.
(3) *Fleckeisens Jahrbuch*, 1878, p. 542-544.

disputata, ubi satis enucleata fuisse a prioribus visum est, haud iterum disputaverim, ea sola retractaverim, plane quidem illa ac luculente, quæ ab integro revisenda et examinanda credidi. Quod si quis alicubi sententiam a mea diversam invenerit, ne temere mihi objiciat quod contra eam rationes non adduxerim, credat autem jam confutatam ab alio, aut videat num per se negligenda rerum antea a me expositarum memori appareat. Brevitati consulere volui, facta et perfecta memorare, non reficere.

Scio equidem in hujusmodi operibus mole ipsius libri et magna testimoniorum veterum monumentorumque congerie apud multos auctorem commendari, quasi strenui ac longi laboris fidem aliquomodo faciant. Quod quidem in præsto erat. Jubæ enim fragmenta et plurima de eo testimonia veterum, quanquam utraque fatendum est sæpius ex paucis verbis, interdum nomine solo, constare, hæc omnia subjungere et in paginarum seriem protendere quis vetuit? Similiter et numinos, quorum non minus LXXXXIV regis Jubæ adhuc innotuerunt, ut repeterem, eorumque catalogum, immo etiam figuras, ederem, suadere quodammodo videbatur conspicuus eorum in Icositano Musæo numerus (1). Denique et tituli plus minus ad rem nostram spectantes colligi et describi poterant : nec dubium quin, hac tertia et quæ haud modicum exigua materia spatium obtineat appendice exornatus, grandem in librum crevisset qui nunc mediocris exit libellus. Placuit autem his artibus paucas res novas, nullam magni momenti, ad thesaurum a prioribus jam comparatum allaturo omnino abstinere : præsertim quum omnes sciant a Muelleris quid sit petendum, fragmenta a Carolo (2), a Ludovico nummos. E titulis vero qui Jubam uxores liberos familiam ejus commemorant,

(1) Typi sunt inter se diversi XXIV, quorum II ab iis qui a Muellero editi sunt aliquantulum discrepant.

(2) Hujus sylloge, licet absoluta nullo modo jam dici possit, tamen semper in citationibus a nobis adhibebitur, ut quæ prioribus melior et ab iis omnibus nota sit qui nostris indulgent studiis.

malui unumquemque ut obvius in disserendo fuit integrum dare quam omnes ad calcem libri una coactos rejicere, primum quod pauci essent, dein quod admodum breves. Quorum quidem nullum me præteriisse parum confiderem, ni solita in me benignitate Mommsenus adhuc inedita *Corporis* volumina interrogari ab ipsis quibus condendorum cura est, summis viris Hirschfeld et Bormann, mea causa voluisset.

Non ergo Jubanam ut ita dicam *cyclopædiam*, sed potius vel unice historicam de Juba rege dissertationem editurus prodeo. Propositum duplex. Namque et ab aliis dicta colligere ordinare conferre, concordantia enuntiare discrepantia dijudicare, rationes et testimonia ab unoquoque adducta prout ingenii vires concedunt perpendere, ita ut ex omnium laboribus ac controversiis verum quoties licuerit, ubi non, vero quam proximum, semper saltem secum constans, aliquid enasceretur, prima hæc cura fuit. Quam tamen, ut ubique historiam attingenti occurrit, ita ego apud huncce potissimum regem non quæsivissem (præsertim quum Africanæ antiquitatis immensa ac prædives, adhuc operam poscens, sylva nobis pateat) nisi aliquid me novi, tenue licet, allaturum putavissem. Altera officii suscepti quid sibi pars hæc velit paucis verbis exponendum.

Ex quo enim docti homines de quibus supra dictum scripserunt, pauca aut nulla inventa erant, quum novam nuper obtulit nec sine pretio messem primus fasciculus ephemeridis quæ nunc Scholæ Humaniorum Litterarum Superioris Icositanæ cura editur, *Bulletin de correspondance africaine*. Duo enim tituli Cæsarienses tunc primum publicæ rationis facti Jubam regem diserte nominant, alios plures ad ejus familiam pertinere ego cognovi. Nuper præterea aliquot in *Bulletin épigraphique de la Gaule*, 1882, editi, aut mihi ab amicis dati; aureus Ptolemæi Jubæ filii nummus de quo jam supra inventus; mihique, dum Cæsaream Jubani imperii caput ac sedem, visitabam, variæ observationes obviæ. Quæ omnia simul cum aliorum repertis libro componere aggredior.

Nec putavi satis habendum Jubæ res gestas ac monumenta tractare, omissis quæ ad statum Mauretaniæ per illa tempora demonstrandum valerent. Multo enim magis ad veram generis humani historiam contulisse mihi videor, si quantum pro documentorum inopia licuerit vivendi omnino rationem veterum Mauretaniæ populorum exposuerim, quam si mihi vitam regis nulla prætermissa die enarrare datum fuisset. Ergo eas Mauretaniæ partes maxime a reliquo terrarum orbe natura cælo solo diversas peragrare institui, vestigia antiquitatis indagans, ultra quam cuiquam creditum fuerat et magna et frequentia. Nec satis ; vicinas Gætulorum solitudines et eorum extremas sedes, vix regibus vix ducibus romanorum exercituum, idque raro, exploratas, videre et volui, nonnullaque etiam illic memoratu digna reperii. Quæ omnia me reduce satis plene enuntiata fuerunt, tabulis XII adjectis, in bibliotheca cui titulus est *Archives des missions scientifiques*, ser. III, t. X (1). Porro in tot ruinis memoriis vestigiis, perpauca invenire est quæ certam ætatis suæ notam aliquo modo præbeant, et arguit maxima pars tempora Jubano multo recentiora : ita ut si quæ ad ætatem liberi Mauretaniarum regni referri debeant perspicere omnino non possis. Sed parum ex avito more, parum ex antiquis vivendi condicionibus Romanis dominantibus mutatum et scriptorum testimonia et veterum vestigia in ipso solo adhuc exstantia docent, et ipsius regionis incolarumque adspectus asserit. Me igitur, dum quæro qualis sub regibus suis prisca Mauretania fuerit, iis uti quæ vidi perlustrando littus ejus ac partes ad meridiem sitas et licebit et ex re est.

Multa tamen in hoc libro et gravia desiderabuntur. Quorum quædam forsitan non, alio ac valentiore auctore vel cui copiam omnium rerum ad historica studia necessariarum alia civitas suppeditasset. Quædam autem per penuriam veterum memoriarum aut melius aut omnino

(1) Prodierunt etiam Parisiis, apud Thorin editorem, sub titulo, *Voyage d'étude dans la Maurétanie Césarienne*, 1882.

dilucidari non possunt. Vellem sane sperare liceret miserandam hanc inopiam aliquando imminutum iri. Cæsaream urbem, quæ per fortunatos casus quantum jam dederit lector benignus videbit, nunquam certa methodo exploratam, nunquam effossionibus accurate interrogatam fateri pudet. Pudori vero indignatio subit quum pretiosa et mirabilia ejus antiquitatis monumenta, longe quondam præcellentia quidquid in Mauretaniis fuit, et memoria nostra fere intacta, omnia consulto eruta, etiam impensis operibus demolita, interdum sine causa, sæpius ad sordidum et quod leges ipsæ prohibebant lucrum exquirendum, conspicias. Inde fit ut in civitate gallica satis florente, ingentia et pulcherrima melioris ævi monumenta, postquam ab eis abstinuit tamdiu ipsa barbaries, nostrorum manibus perierint aut etiamnunc destruantur. Quod si, Jubæ regis gloriam et antiquum loci splendorem memorans, eos commovere possem quos finem devastationi fomenta studiis afferre penes est, tenuem multo labore libellum peperisse me alacriter ferrem.

Scribebam apud Icosium, ann. D. 1883.

DE REGE JUBA

REGIS JUBÆ FILIO

I

REX JUBA QUIS FUERIT, QUO PATRE QUA GENTE CREATUS, UBI QUOMODO EDUCATUS.

Fuisse Jubam, Mauretaniæ regem, filium Jubæ Numidiæ regis, et constat et præter ceteros notus hic titulus docet (1) :

REGI · IVBAE · RE*gis*
IVBAE · FILIO · REGI*s*
IEMPSALIS · N · REGIS · GAV*dae*
PRONEPOTI · REGIS · MASINISS*ae*
PRONEPOTIS · NEPOTI
IIVIR · QVINQ · PATRONO
COLONI

Quo quidem genus regium quasi in stemmate compositum habes. Juba igitur illius Jubæ filius qui,

(1) *C. I. L.*, II, 3417.

Pompeii partes dum sequitur, a Cæsare apud Thapsum victus ipse sibi mortem dedit ann. a. C. 46, nepos autem Iempsalis et Gaudæ pronepos manifestatur. Fuit Gauda Masinissæ nepos, et corpore et ingenio debilis, quem patruus Micipsa nullam quidem in partem regni se mortuo venturum destinaverat, heredem vero totius vocaverat, si filiorum Iempsalis atque Aderbalis et fratris filii Jugurthæ soboles unquam defectura foret. Quod quidem tunc insperatum, tamen, post fraudes Jugurthæ, Romanorum victoria evenit. Jugurtha enim sublato, nihil aliud populus romanus quam testamentum Micipsæ exsequitur, Gaudæque regnum Numidiæ quodammodo sub tutela sua permittit. Cur autem in præsente titulo inter Gaudam et Masinissam, scilicet nepotem et avum, gradus unus manifeste desit, explicare mihi posse haud improbabiliter videor.

Multos habuerat, tres post se reliquit legitimos Masinissa filios, Micipsam, Gulussam, Mastanabalem qui Gaudam genuit. Scipionem ejus regnum inter illos divisisse sæpius dictum invenies (1). Cui sententiæ haudquaquam accedo. Credo enim de bonis et rebus ad hominem ut privatum pertinentibus intelligendum, principatum autem et regium nomen penes natu majorem fuisse. Neque inutile erit, unius ex illis regibus populi romani sociis et amicis historiam dum incipimus, quid illis valuerit regium ipsum hoc nomen summatim repetiisse. Optime vir doctus Bohn

(1) App., *Pun.*, 185; Zonar., IX, 27; Oros., IV, 22; Sall., *Jug.*, 5.

nomen regis demonstravit (1) jure omnino ab auctoritate regia divisum. Multi enim quum reipsa regnent, eo nomine a Romanis nunquam, sæpe ne a suis quidem appellantur, quamvis potentia excedant aliquos ex his qui reges dicuntur, et ipsi quoque aut plus aut minus in amicitia populi romani esse videantur. Rursus regno omnino carentes nonnulli reges vocantur, sive olim regnaverint aut contra sint regnaturi, sive regio genere orti potentia amissa nomen retineant. Sæpe filius regnantis natu maximus una cum patre eo fruitur, ut ipsius Jubæ nostri Ptolemæus, haud potestatis particeps. Verbum *Rex* nomini præmissum nihil aliud nisi quoddam honoris gratia concessum prænomen, ut *Imperator Cæsar* populi romani principibus, dynastis peregrinorum fuisse crederem. Quod quidem, a senatu datum una cum aliis et variis honoribus insignibus privilegiis, ii demum accipiunt quos inter peregrinos aut suprema auctoritate armari, aut supremo titulo decorari, aut in jam adepto et antiquo regno confirmari vult populus romanus. His positis, Mastanabalem in titulo supra scripto deesse quia rex non appellatus a populo romano fuerit conjicerem. Neve obstet quod Mommsenus ait scriptorem hujus tituli « pronepotis filium » vitare voluisse, quum jam « pronepotis nepotem » non fastidierit, et hoc uno adjecto integer numerus esset. Nempe si fuisset Juba e Masinissæ sanguine post multas hominum ætates natus, facile crederem

(1) Oscar Bohn, *Qua condicione juris reges socii populi romani fuerint.*

ultimas quidem diserte retulisse tituli conditorem, aliis autem omissis subito ad stirpis auctorem transiisse, ut fit in græca lapide qua filius ipsius Jubæ celebratur et e stirpe Ptolemæi Ægyptii ortus esse memoratur (1) :

Ο ΔΗΜΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΑ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΟΥΒΑ
ΥΙΟΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΚΓΟΝΟΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΑΥ
ΤΟΥ

Sed a Juba ad Masinissam non plus quam quatuor gradus per scalam genealogicam intersunt, nec causa cur tribus allegatis unum relinqueretur pateret. Obvium autem cuique est, in titulo honorario et ab hominibus publici Romanorum juris gnaris (quippe civibus romanis clarissimæ coloniæ) posito, neminem nisi regem a senatu populoque romano appellatum collocari. Quod cum statu alioquin noto Numidiæ ut potentis sic quietissimæ regnante Micipsa convenit. Illam autem quæ fertur divisionem qua, regno in tres partes constituto, regia tamen auctoritas communis mansisset, ita ut unus rem pecuniariam, alius exercitus, tertius justitiam administraret, quis non intelligit fabulam esse, nec res ita componi aut compositas durare potuisse, præsertim apud eas gentes? Non negarem forsan reges sæpius appellatos Gulussam Mastanabalemque a suis, etiam a peregrinis, a populo romano nunquam. Neque obstant nummi quos Muel-

(1) *C. I. G.*, I, 360.

lerus ad hoc regum collegium retulit, nempe plus quam dubii sunt (1). Nihilo tamen minus Mastanabal nobis, licet rex non fuerit, in Jubæ proavorum ordinem, Sallustio Dione auctoribus, suo loco reponendus ; nec Jubam a Masinissæ pronepotis filio genitum quisquam erit qui dubitet (2) ; et eum Masinissæ adnepotem tituli conditor scripsisset, sed nondum temporibus illis verbo *adnepotis* utebantur (3).

Nemo nescit Masinissam e genere regio Massylorum, id est Numidarum Orientalium, ortum esse, eorumque diu obscurum et intra modicos fines conclusum regnum in immensum et præpollens imperium dilatasse. Genti regiæ longa nobilitas et ut fertur divina origo ; neque postquam excultiorum populorum artes linguæ religiones apud eam in gratiam venerunt, defuit qui dicta veterum fabulis Græcis accommodaret. Herculis igitur filium parentem fuisse gentis inter omnes convenit. Aderat Iolaüs heros, Tyrii Melkarthis sive filius sive comes, qui pater Numidarum, nescio qua punicarum cum vetustis vulgi memoriis fabularum conjunctione, antiquitus ferebatur (4), co-

(1) P. 16-31. Exempli gratia, minime liquet num. 19, 20, 23, diversorum hominum ferre effigiem; mihi potius eadem esse videtur, eademque, sed pejore manu repetita, in æneis nummis ad pag. 19. Tota autem Numidici regni per hoc tempus numismatica incerta est, forsan inextricabilis.

(2) Sall., *Jug.*, 65 ; Dio Cass., ed. Bekker, fragm. 9, 4. Vid. etiam Defrémery, *Journ. asiat.*, 1842, ser. IV, II, p. 359, ubi, etsi male titulus referatur, recte tamen Jubæ statuitur genealogia.

(3) Vid. Wilmanns, *Exempla*, ad. n. 2310.

(4) Pol., VII, 9 ; Diod., IV, 22, 29; Müll., *Num.*, t. III, p. 25 ; J. Halévy, *Et. berb.*, *Journ. asiat.*, 1874, ser. VII, t. IV, p. 395.

lentibus Carthagine, Tyro, et pluribus in Sardinia et in Sicilia populis (1). Melkarthe ut notum est cum Hercule confuso, regum Massylorum origo inter Græcorum fabulas, jamdiu a Romanis notas et suas quodammodo factas, locum facile obtinuit, ut quæ a filio ab Hercule ex Antæi interfecti uxore genito traheretur. Consensus de nominibus nullus : nam matrem Tingin filium Sophacem Juba auctore Plutarchus, matrem Iphinoën filium Palæmonem Pherecydes vocant (2), alii autem Iolaüm Melkarthi ex Cirtha natum (3) dixerunt. Verum, Pherecyde omisso, qui nil nisi conjungere arctius hanc nostram Græcorum fabulis nobiliora adscribendo nomina voluit, duæ restant sententiæ. Quarum facile discrepantiam nullam esse existimabis, caveris modo ne duæ inter se diversæ res confundantur. Fuit enim procul dubio traditum idem de variorum Libyæ populorum regibus, id est ab Hercule genitos; matris autem apparet nomen ad locorum convenientiam et priscam gentis cujusque historiam formatum : ut Cirtham fabula faceret orta apud Massylos, Cirtham urbem præcipuam habentes, Tingin vero apud Massæsylos, immo etiam apud Mauros, quibus tractus ad Occiduum vergens Tingi tenus tenebatur. Ad Mauros omnino videtur referendus locus Jubæ regis a Plutarcho repetitus, qui non eum seipsum dixisse a Sophace ortum, sed ita creditum fuisse, ait, forsan cum veteribus Mau-

(1) Pol., *ibid.*; Movers, *Phœnizier*, II, p. 505-506, n. 155; Diod., *ibid.*
(2) Plut., *Sertor.*, 9; Pherecyd., *ap. Lycophr. schol.*
(3) Apollod., II, 7, 8.

rorum regibus facta aliquomodo confusione (1).

Has fabulas, ut vanas, inter nugas relinquerem; sed eas cordi habuisse Numidiæ reges videmus, et seipsos ubique semper Heraclidas vindicasse. Nummis enim quos Muellerus ad regnum Micipsæ refert tum barbatus tum imberbis incusus claviger (2), aut Hercules aut Iolaüs aut deus adjectis Iolaï Herculisve insignibus factus Masinissa doctissimo auctori visus est. Nisi forsan conjiciat aliquis ipsum cum proprio divini genitoris ornamento effictum esse Micipsam. Herculis certe religio semper in domo regia permansit, nullo autem magis colente quam Juba Jubæ filio. Quo fervore antiqua dicta de origine divina amplexus sit, ipse prope ad ridiculum, monumentis ut alter Hercules apparens, nummis præsertim, testatur.

Juba, quum pater ejus mortem sibi victus intulit, quartum vel quintum annum agebat. Natales ejus Sevinus ann. fere a. C. 51 adscribit : satis recte ut videtur, nam scimus eum et cum Cæsare D. filio educatum et cum eo bello Actiaco primum sub signis fuisse, unde eum credere est XX tunc annos natum.

Cæsar, mortuo rege, inter prædam puerum nactus, Romam advectum in pompa triumphi (3) duci voluit, nec ullus erit qui credat, Suida solo auctore, atrocius in parvulum ita ut flagris cæderetur sævitum (4).

(1) C. Müller, *fragm. h. gr.*, *Jub.* fragm. 19. Cf. Pline, *H. N.*, V, 1, § 1.

(2) Müll., num. 16, 17, 18.

(3) App., *B. C.*, II, 100; Plut., *Cæs.*, 55.

(4) Suid., s. v. Ἰόβας. Alias etiam nugas de Juba scripsisse Suidam

Contra consentiunt omnes Jubam in domo Cæsaris exceptum et educatum perinde ac si ejusdem gentis et sanguinis fuisset. Quæ quidem dictatoris domus tunc optimis magistris scatebat : causa Cæsar Octavianus, Juba XII annis major, modo e disciplinis exiens. Hic regium adolescere puerum fatum belli usque coegit, fortunata, dixit Plutarchus, et fausta captivitate, cujus gratia e barbaro Græcorum doctissimus evasit. Ibi enim, ut domesticorum litteratorum cura educatur, sic in concursu et conversatione hominum ingenio, elegantia, doctrina, humanissimis moribus et urbanitate præstantium, mentem jam per se egregiam et informat et locupletat. Nihil autem apud eum gratum magis et acceptum fuisse quam historiam, grammaticam, et rerum naturæ scientiam opera ejus demonstrant : quippe qui vir factus eloquentiam nunquam, poesim minus egregie, alia fere omnia feliciter tractavit.

Plus autem in præsens profuit amicitiam sibi conciliasse Octaviani condiscipuli, summum rerum arbitrium haud multo post habituri. Quam sane ei nunquam defuisse apparebit. Interea Romæ degens, Cæsaris quasi sub umbra, vitam eamdem habuisse videtur quam juvenes principalium in re publica domuum : ita ut eadem ætate qua illos stipendia mereri usus et leges jubebant, et ipse sub signis fuerit. Quo officio quo nomine in Actiaco bello meruerit,

adnotat Sevinus, quanquam et utilissima tradidit. Cf. Muell., *Fragm. h. gr.*, III, p. 462, n. 2.

ignotum. Auxiliarium numerum duxisse, vel potius inter comites, forsan in contubernio, Cæsaris mansisse credibile est (1).

Utut est, bello exacto, crevit apud victorem juvenis gratia et favor, nec multo post ab Augusto habuit et uxorem et regnum. Uxor Selene Antonii et Cleopatræ filia, regnum Numidia fuit (2).

(1) Dio Cass., LI, 15.

(2) Dio Cass., *l. c.*; Suet., *Calig.*, 26; Plut., *Ant.*, 87.

II

JUBA NUMIDIÆ REX CONSTITUITUR ; NUMIDIÆ STATUS FINES POPULI URBES QUI FUERINT ILLO TEMPORE.

Avitum Numidiæ regnum Jubæ redditum fuisse Clessio Marco Berbruggero, ipsi quoque Muellero, ab auctoribus perperam dictum videtur, quia nulli inveniuntur Jubam ibi regnavisse asserentes nummi (1). Sunt autem nummi aliquot qui, Jubæ effigie insignes anni autem nota carentes, ad quod tempus regnantis ejus pertineant minime affirmare possis; adnotat tamen Muellerus omnes juvenis effigiem præbere (2). Nulla mihi igitur causa præpotens obstare videtur quin aliqui eorum ad eos utique annos referendi sint quibus Juba in Numidia regnaverit ; et fateor me haud libenter contra omnia scriptorum veterum testimonia mirum in modum concordantia iturum. Dio enim, assentientibus Strabone Plutarcho aliisque cunctis (3), diserte ait Augustum Jubæ, Jubæ illius filio qui contra Cæsarem pugnavit, Cleo-

(1) Müll., t. II, p. 111, n, 5.

(2) P. 115.

(3) Dio Cass., LI, 45; LIII, 26; Strab., XVIII, p. 828; Plut., *Ant.*, 87.

patram cognomento Selenen, Antonii filiam, uxorem, et regnum paternum dedisse, atque iis amicum semper se præstitisse. Numidiam autem Jubam paucis annis tenuisse, Mauretania in ejus locum accepta (1), identidem ostendit Tacitus. Scriptoribus ergo ita consonantibus, nihil, chronographia excepta, in dubio esse videtur : ea autem obscura est.

Quo anno Numidiæ regnum, quo Mauretaniæ Juba acceperit, a nemine traditum habemus, idemque et de ceteris ejus rebus gestis fatendum. Muellerus autem (2), adhibitis nummis, eum Mauretaniam ann. a. C. 25 adeptum reperire sibi visus est, quum, ex multis quis certam anni notam ferunt, nullus XXXXVIII excedat. In eis a Ptolemæo Jubæ filio et successore cusis numerus XVIII major nondum occurrit. Ex quo, quum scimus eum ann. D. 40 interfectum, patet eum ann. 23 solium conscendisse, qui annus quum XXXXVIII regnantis Jubæ esse debet, numerandi principium ad ann. a. C. 25 referendum videbitur. Sed, quanquam vero similis, non certa plane et nobis satisfactura conjectura Muelleri appareret, nisi aliæ, quas post referemus, subsidio essent rationes. Neque enim omnibus viris doctis accepta est (3); neque affirmaremus nullum fuisse nummum qui nobis insciis aut Jubæ XXXXVIIII aut Ptolemæi XVIIII annum haberet ; et Dio Cassius, etsi Mauretaniam pro Numidia acceptam post finem belli Canta-

(1) Tac., *Ann.*, IV, 5.
(2) P. 114-115.
(3) Vid. ipsum Muellerum, p. 132-133.

brici collocet (qui finis ann. utique a. C. 25 fuit), idem, ann. a. C. 27, dum de S. C. quo provinciæ inter principem et senatum dividuntur loquitur (1), Africam Numidiamque una nominat. Notum autem cuique est Numidiam in potestatem populi romani a D. Cæsare redactam provinciam per se effecisse, cui nomen Africa Nova fuit, postea autem, iterum a Cæsare Augusto romanæ ditionis factam, Africæ veteri adjectam unius Africæ vocabulo (2); juvaretque demonstrari posse regnorum mutationem eo potissimum ann. 27 factam esse, dum numerus fines ordo modusque administrandi omnibus provinciis imperii in perpetuum constituuntur. Sed peccavisse Dionem aliqua obscuritate constabit, et a Muellero datam Jubæ filioque chronologiam veram ostendent alia ex quibus manifesta defluit (2). Ceterum quo anno regnare inceperit non magis diserte refertur, quum auctores post bellum Actiacum dicant, quanto post taceant. Mihi autem probabilissimus videtur ann. a. C. 29 a C. Muellero datus (3), quum credo nihil aliud interpositum fuisse temporis quam quod Cæsari Augusto ad opprimendos una Antonium et Cleopatram, Ægyptum ditioni suæ addicendam, Romam redeundum et pacem orbi terrarum reddendam, opus fuit : Juba uxore donatus et in patrium remandatus regnum pars quoque hujus operis erat.

(1) Dio Cass., LI, 45; LII, 42.

(2) *B. afr.*, 9; App., *B. C.*, IV, 53; Mel., I, 7, cf. 6; Plin., *H. N.*, V, 4 s. 3; *C. I. L.*, VIII, p. xv.

(3) *Fragm. h. gr.*, III, p. 462.

Ceterum Juba quod regni accepit haudquaquam idem quod Masinissæ fuerat credendum est. Ejus fines, quos tabula exprimere minime difficile foret, et statum quatenus sinet memoriarum paucitas, exponam.

Ac primum de finibus, quos satis bene cognosci posse judico, modo varios Numidici imperii casus et terras quando occupatas quando rursus amissas raptim memorare liceat.

Ann. a. C. 146 Carthagine deleta, Scipio in formam provinciæ redegit quidquid terrarum patebat intra fines Carthaginiensium quos novissime habuerant (1). Reliqua omnia, a Mulucha flumine inter Mauros Numidasque fluente ad Philænon aras ultra quas Cyrenaica, Masinissæ fuere, romana provincia haud ita magnum spatium obtinente, sed intra Zeugitanam et tractum quem posthac Byzacium vocitaverunt constituta; et earum quidem regionum multa loca rex arripuerat. Littus a Thabraca insula et Tusca amne ad insulam Cercinam oppidumque Thenas, quo in loco a Carthagine m. p. CCXVI distante finem habuit fossa ducta inter provinciam et reges, Romanorum erat (2). Intus autem Masinissa multo Carthaginem versus fines suos dilataverat, quum Bagradæ amnis majorem partem et τὸ μακρὸν πέδιον occuparet, ita ut Thimida Regia (3), quam cognomentum arguit regum aliquando

(1) Sall., *Jug.*, 19.

(2) Plin., *H. N.*, *l. c.*; Ptol., IV, 3. 21, c. 28.

(3) *C. I. L.*, VIII. 883.

Recentiora nomina : Oued Mlouia, Tabarka, Oued Berber, Kerkenah, Henchir-Tîneh, Oued Medjerda, Sidi-Ali-es-Sedfini.

B.

fuisse, non plus quam m. p. xx a Carthagine, XII a mari, absit. Unde vix credibile videtur ei concessum fuisse ut tanti momenti possessiones in intima provinciæ parte retineret. Utut est, Numidici regni fines romanam ditionem versus prodit series quasi continua urbium quæ regiarum nomen etiam sub Romanis retinuerunt. Sunt autem Vaga Regia (Sall., *Jug.*, 56, 66; *B. Afr.*, 91), Bulla Regia (Ptol., VIII, 14, 10; *It. Ant.*, p. 44, etc... Tissot, *Rev. crit.*, 1er mars 1880), Zama Regia (*I. R. N.*, 6793; *C. I. L.*, VIII, p. 310) et Aquæ Regiæ ab Itinerariis non semel nominatæ (*C. I. L.*, VIII, p. 20) : unde limitem discimus a Thabraca incipientem Thenas per Usaletum montem petiisse. Quod quidem Masinissæ regnum, teste Sallustio et Jugurthæ fuisse finibus haud commutatis notum est.

Oppresso Jugurtha, regnum imminuitur. Constabat enim ex terris Massylorum, Masinissæ a patre Gaia traditis, Massæsylorum, quos tenuerat Syphax, et regionibus Carthagini abreptis, id est Syrtibus cum Emporiis, τῷ μακρῷ πεδίῳ, et Bagradæ tractu ; sed jam, bello fervente, Leptis Magna ad Romanos a rege desciverat (1), nec reddita fuisse apparet. Bocchus autem, Maurorum rex, Massæsylorum regionem diu auxilii sui pretium modo a Romanis modo a Jugurtha petitam, Jugurtha tradito habuit : demonstravitque Mommsenus, ita ut parum dubitandum videatur, ei

(1) Sall., *Jug.*, 77-79.

Recentiora nomina : Bâdja, Chechia-Beni, Lehs, Henchir-Baboucha, Djebel-Ousselet.

tractum omnem Saldas tenus datum fuisse, quæ est regio Massæsylorum, cum urbe Iole cui postea Cæsarea nomen (1). Atque ita, retro ab amne Mulucha ad amnem Nasavath Numidiæ limite occidentali posito, valde imminuta terra regi Gaudæ tradita est.

Gauda, cujus nummi certæ originis non exstant, et quem regnasse negat Muellerus (2), certe brevi tempore regnum tenuit. Iempsale post eum regnante, Hiarbam quemdam invenimus Numidiæ partes septentrionales habentem, Bullamque civitatem in hujus dominatione fuisse comperit (3). Postea, regnante Juba Iempsalis filio, quemdam nomine Masinissam in iisdem partibus dominasse constat, Cirthamque obtinuisse creditur, forsan perperam (4). Valde autem difficile est quum regni tum juris eorum fines ac modum discernere. Hiarbas Iempsali hostis est, eumque per aliquod tempus etiam regno exuit. Masinissa vero, Jubæ amicus, cum eo Pompeii secutus partes, una cum eo opprimitur. Ceterum nummos eorum Muellerus exstare credidit, nec nimis improbabiles ii quos Masinissæ attribuit videntur (5). Sed revera dominatione eorum quidquam Numidiæ detractum fuisse, quum eos subjectos Heraclidis non fuisse minime constet, non omnino crediderim. Jubæ

(1) Vid. Mommseni sententiam ap. Boissière, *Esquisse de la domination romaine dans le nord de l'Afrique*, p. 185, n. 2; Cæs., *B. C.*, II, 28; *B. afr.*, XLIII, 77; Sall., *Jug.*, 97, 102, 111.

(2) Müll., III, p. 38, n. 8.

(3) Plut., *Pomp.*, 12; Oros., V, 21.

(4) Müll., III, p. 49; App., *B. C.*, IV, 54.

(5) P. 41 et 48-51.

sedes Zama fuit, ubi splendidissimam regiam sibi ædificaverat quæ in nummis effingitur, et probabiliter quoque Cirtha, quam Appianus dicit βασίλειον Ἰόϐα (1).

Cæsar Numidiæ devictæ, quum ibi commorari non posset, condicionem statum fines festinatim constituens, unicuique suum, aut potius quidquid occupaverat, relinquit, Numidiaque, nunc provincia Africæ Novæ nomine, iterum plura amittit. Nucerinus homo P. Sittius, cujus vitam et gesta repetere non est hic locus, Cirtham occupat et Chullum et Milevum et Rusicadem vicosque pagosque omnes sub eis. Quæ quum coloniæ essent, Sittium eorum præfectum sub auctoritate Bocchi regis amici populi romani fuisse, reipsa vero suis opibus et virium suorum jure retinuisse omnia, quantum conjicere licet, apparet (2). Rex autem Bocchus fines suos ab amne Nasavath ad amnem Ampsagam Orientem versus prolatat, et Numidia deinceps Mauretaniaque hoc fluvio separantur (3). Mortuo Cæsare, Sittius occiditur ab Arabione (4), Masinissæ filio, et coloniæ Cirthenses, jure quidem nescio quid, re autem aut liberæ civitates aut potius pars provinciæ efficiuntur. Nihil autem ex finibus jam constitutis mutatum, nec dubium quin in Africa

(1) Müll., III, num. 50 et 57; App., *B. C.*, II, 96; cf. *B. afr.*, 25.

(2) App., *B. C.*, IV, 54; Mel., I, 7; Plin., *H. N.*, V, 3, 22.

(3) Plin., *H. N.*, IV, 40, 3; V, *l. c.*

(4) App., *B. C.*, IV, 54, etc.

Recentiora nomina : Constantine, Collo, Mila, Philippeville, Oued-Sahel, Oued-el-Kebir.

Nova provincia a Cæsare constituta Numidia ab Augusto Jubæ reddita quærenda sit.

In illo tempore Mauretania in Romanorum manibus versabatur. Mortuo Boccho aut sine prole aut per testamentum populo romano in hereditatem vocato, Romani Mauretaniam in formulam provinciæ non redegerant, sed per præfectos ut videtur administrabant, et Augustus post bellum Actiacum colonias non minus undecim his partibus destinavit (1). Reddita Jubæ Numidia, quid de Cirthensibus coloniis statutum, fuerintne sub præfectis Mauretaniæ aut Africæ proconsulibus, an ipse rex civis romanus iis præfecti loco fuerit, ignoratur. Nisi aliquid ejusmodi fuerit, vix eum Cirthæ, aviti regni quæ caput fuerat, habitasse crederem, quum alioqui ne Zamam quidem paternam sedem haberet, mutatis ab ea parte finibus. Qua de mutatione dicendum.

Ann. a. C. 25, Numidia Africæ provinciæ proconsulari adjecta unicæ in orbe romano nec alterius unquam exempli conditionis causa fuit. Africa enim, sola ex tot provinciis quæ senatui et populo romano administrandæ permissæ erant, exercitum, jam antea in Numidia consistentem, habuit; quumque plures diœceses essent, et aliquatenus diœcesis Numidia per se fuit, quum legatus legioni et auxiliis præpositus omnibus locis in quibus considebant milites secundum morem præesset. Voluit autem Gaius Imperator legatum non jam proconsulis sed

(1) Plin., *H. N.*, V, 1; Vid. cap. III.

ipsius principis esse (1) ; posteaque, imperante Severo, Numidia provincia appellata est quæ reipsa jamdiu erat. Quæ provincia paucissimis mutatis nihil aliud ac eadem quondam militaris diœcesis fuit : diœcesis autem quid erat nisi ipsius Jubæ regnum ? Fines vero ejus inveniri posse existimo. Namque, ea excepta, tres in Africa fuisse diœceses satis constat, Carthaginiensem scilicet et Hipponensem tertiamque ut videtur Œensem (2). Unde subito cernitur Syrtas et partem ipsius Numidiæ septentrionalem extra Jubæ dominationem fuisse : qui igitur pauca aut nihil ultra Massylorum patriam occupavit. Limitem ipsum quærere si placet, subministrat ea divisio provinciarum quæ post Diocletiani tempora usque ad finem imperii romani permansit. Qua quum ex Africæ diœcesibus singulæ provinciæ efficerentur, Hipponensis nomen habuit Numidiæ proconsularis, hoc ipso arguens se quondam Numidiæ, ut proconsuli traderetur, ablatam. Fines vero ejus sunt noti : quippe qui, cum Hippone et omnibus a Thabraca usque ad Rusicadis vicinia littoribus, civitates in interioribus regionis partibus sitas continent Calamam, Thubursicum Numidarum, Tipasam, Thagastem et Thagoram, Naraggaram, Siccam Veneriam, Althiburum ipsamque Zamam, neque minus totam Bagradæ amnis superio-

(1) Dio Cass., LIX, 20; Tac., *Hist.*, IV, 48.

(2) Vid. *C. I. L.*, VIII, p. XVI.

Recentiora nomina : Guelma, Khamissa, Tifêch, Souk-Arhas, Taura, Sidi-Yousef, El-Kef, Henchir-Medîna.

rem vallem, cum Smittu et Bulla Regia (1). Extra quas qui lineam in mappa posuerit, limitem Jubani regni procul dubio habebit, quum omnia intra eam ad Septentrionem aut Orientem sita, seu prius Numidarum seu Carthaginiensium fuerint, nunc provinciæ romanæ partes remaneant. Finis vero Jubanæ Numidiæ ubi Orientem versus fuerit, produnt loca ubi primis Imperii temporibus considunt milites, et a Diocletiano limes inter provincias Numidiam et Africam proconsularem positus. Quæ quoniam optime a Mommseno et Wilmannsio in *C. I. L.*, VIII, p. xv, per stationum vocabula et testimonia veterum dilucidata sunt, non repetam, præsertim quum hodierni fines inter Algeriam et Tunisiam omnino iidem exstent et a nullo ignorentur.

Regum igitur Heraclidarum soboles in sedem originis suæ, Massylorum scilicet regnum, redibat, ejus vero coarctatos fines iterum non transgressura. Quæ versus Occidentem omnes Massæsylos Mulucham tenus suos fecerat, primum usque ad Nasavath dein usque ad Ampsagam amnes se recipere debuerat. Quæ versus Orientem usque prope ad ipsum Carthaginis suburbium regnaverat, adjectis insuper imperio Syrtibus et Libyæ maxima parte, nunc, gliscente provincia a Tusca usque ad Ubum, Bagradæ valle, Emporiis, et fertilissima Libyæ planitie amissis, hinc c illinc paulo minus m. p. retrocedere cogebatur, et

(1) *C. I. L.*, VIII, tab. II.
Recentiora nomina : La Seybouse.

Syrtes in provincia erant. Ita ut reddita Jubæ Numidia undique validissimo romani territorii obstaculo a mari prohiberetur.

Non adeo tamen spernenda erat ut juveni Romæ educato fastidium movere posset. Status enim is fere fuit.

Ex quo cum Roma Italiaque Numidia frequentius conversabatur, quod jam sæculo plus fuit, multa ab eis, ut a Pœnis antea accepta taceam, sumpserat ad excolendam priscam feritatem idonea. Primus Masinissa, ut erat providus ac solers, Romanum cum Romanis, barbarum cum suis, ostendere se consueverat, et fines suos ultro linguæ artibus commercio peregrinorum aperuit ; jamque eo regnante multi ex Italia Græciaque homines negotiatores artifices litterati, genus omne solers et quod facile ubique penetret, in maritimis, etiam in mediterraneis, urbibus commorari instituerant. Post hunc Micipsa, quem a Græcis præceptoribus educari voluerat, quo doctior sane nullus præterea barbarus, fratre Mastanabale excepto, tunc fuit, et philosophiæ deditus, multum ad humaniorem vitam contulit : quo regnante artes aut natæ sunt aut floruerunt, ut testatur ingens pulcherrimum regiæ gentis monumentum, quod ab eo ædificatum creditur, cuique nomen *El Madrasen*. Cirthæ Græcorum colonia rege auctore constituta est, atque Italici homines tantum in numerum creverunt ut paulo post contra Jugurtham urbem ipsam defenderent (1). Vagam quoque, forum rerum

(1) Sall., *Jug.*, 21, 26. De hac defensione, vid. Lallier, in *Annales de la Faculté de Bordeaux*, 1882.

venalium totius regni maxime celebratum, ubi et incolere, teste Sallustio, et mercari consueverant Italici generis multi mortales (1), et alias omnes finibus regni provinciæque adsitas urbes floruisse per peregrinos apparet. Post, gliscente quotidie in regno populi romani auctoritate, magis ac magis confluere romanos homines, romana negotia, Italiæ omnis aurumque et industriam in Numidiam visum est. Porro natio aboriginum, quos *Berberos* hodie generico nomine appelamus, rusticum et agreste genus est, quod urbium negotia et assiduitatem peregrinis libens relinquit : testantur Algeriæ urbes Judæis, Turcis, Europæis, paucissimis vero ex antiquis soli cultoribus, frequentes. Ita res erat in regno Jubæ, cujus urbes Græcis, Romanis, Pœnis, etiam Syris atque Nabathæis, non minus quam Numidis, forsan magis, incolebantur. Inde trium populorum artes ac linguæ in regionem spargebantur. Punicas jamdudum acceptas fuisse religiones inter cetera demonstrant ipsorum nomina regum ac principum sæpius ad Baalem aut Melkarthem referenda, velut Balem, Narbalem, Aderbalem, Bodmilcarem, Mastanabalem, ex punico vocabulario desumpta. Numidarum sermone, quem nos in paucis et brevissimis titulis (2) reperimus, nunquam ad litteraria studia fuisse qui usus sit comperit, et rara artis αὐτοχθόνου monumenta, quæ rudia altaria aut in

(1) Sall., *Jug.*, 47, 29.

(2) Lege J. Halévy, *Etudes Berbères*, ubi CCXLVIII, qui ante ann. D. 1874 innotuerant, reperies.

sepulcrorum lapidibus informes effigies sunt (1), barbariem insanabilem produnt. Masinissa, qui fuit doctissimus, Carthagine educatus fuerat et punico sermone suos titulos scribebat (2) : Iempsal, Jubæ nostri avus, punica quoque lingua Numidiæ historiam, Juba, Iempsalis filius, per Græcos, ut credendum est, architectos regiam suam Zamæ et plura splendida ædificia ad effigiem romanarum domuum (3), condunt; Jubam Jubæ filium aut latine aut græce scribentem, sæpius de romanis rebus, videbimus; et Punica lingua adhuc v̄ p. C. sæculo ubique, sed præsertim in maritimis civitatibus durabat, ut, præter testimonia scriptorum, complures tituli demonstrant, in *Corpore Inscriptionum Semiticarum* aut editi aut edendi.

Ita romano imperio matura, ut quæ jam Romanorum hominum erat, Numidia videbatur, eaque causa esse debuit cur eam Jubæ reddidisse Augustum cito pœnituerit.

Res a Juba gestas per breve illud tempus quo Numidiæ imperitavit, nescimus, nec quisquam de statu regni locutus est. Plura tamen cognoscere licet quæ quale hoc regnum fuerit satis bene denuntiant.

(1) Vid. *Arch. des Miss.*, t. X, ser. III, tab. VII, fig. 4, Hadjeret-Gaid; sed prodiit etiam sub titulo *Voyage d'étude dans une partie de la Maurétanie Césarienne*, ubi vide *Bull. corr. afr.*, I, tab. I, Stèles de Souama et d'Abizar.

(2) Cic., *Verr.*, IV, 46. Nisi forte quod ait Valerius Maximus, eosdem utique titulos « gentis suæ litteris » conscriptos fuisse, de libycis litteris intelligendum sit, quas certe sub Masinissæ temporibus, forsan eo ipso auctore, ex punicis derivatas esse non dubitandum est. Vid. *Bull. corr. afr.*, 1882, fasc. 6.

(3) Müll., III, p. 45.

Numidarum gens, ut semper Berbericæ nationes fuerunt, in complures populos divisa, unoquoque eorum res suas per se agitante, vivebat, ut hodie *Kabylorum* communitates cernimus per *djemaas* (ita ordinem vocant) semet ipsas administrantes. Non jam vero ad statum, ut hodie, absolute et nimis democraticum pervenerant, quo neque genti neque homini cuiquam in magnum crescere licet; sed contra principatum ubique obtinebant quos Romani regulos, Græci vero δυνάστας, vocaverunt. Qui, propriis opibus validi, secum numerum equitum et comitatum magnum trahentes, et populum sibi subjectum et vicinos in societate haud sane æqua tenebant. Sedes erat aut urbs amica, aut oppidum castellumve reponendis thesauris aptum. Vivebat autem nobilitas, armentis et pecoribus locuples, nomadum more; plebs contra, agris colendis addicta, in tuguriis specubus et miserrimis vicis assidua. Quæ vita a Sallustii ad Procopii, a Procopii ad Arabum, ab Arabum ad nostra tempora fere duravit. Rex omnibus supra stabat, eo potentior quo proprius ei populus major, familia numerosior, thesaurus largior vires ad auctoritatem confirmandam dabant. Urbium quoque benevolentià potentiam ei augebat, et insuper Jubæ aderant societas populi romani et Augusti amicitia.

Civitatum regni conditionem dilucidare juvaret, quæ tantum antea in ejus casibus potuerant. Sed qualis Juba regnante fuerit non plane discernimus. Primum enim quid habuerit cum Cirthensibus coloniis, num præfectus eis fuerit constitutus, an, roma-

nis civibus αὐτόνομον populum in eis facientibus, ipse reliquam gentem sub imperio suo tenuerit, ambiguum. Dein ceteras civitates, fere omnes origine punicas, aut in dominio habuerit aut liberas pati debuerit, nullus auctor tradidit. Tamen quædam haud nimis dubia, Numidiæ statum quum antea tum postea inspiciens, cernere mihi videor.

Regias appellatas fuisse quasdam Numidiæ urbes jam antea memoravi, Cirtham, Hipponem, Vagam, Thalam, Zamam et Bullam, ubi reges interdum commorari utebantur. Cujus omnium vectigalia pars in regiis opibus erant, et inter τὰ βασίλεια ab Appiano (1) dicta, cum aliis procul dubio juribus et pertinentiis, numerabantur. Alioqui vero liberæ degebant, semet ipsas administrantes et proprios cudentes, duntaxat æreos, nummos. Exstant Bullæ et Hipponis (Müll., III, p. 57, 53), et Cirtha, quæ inde a Micipsa Græcorum, nunc autem Romanorum, antea etiam Pœnorum, communitates habuerat, jamdiu eodem jure fruebatur (p. 60-65). Plane autem liberum vivendi genus tenuerant semper eæ civitates, ita ut etiam regibus adversæ sæpius essent (2). Juba vero nostro regnante, Bulla, Hippo, Vaga, et ut videtur Thala quidem et Zama regno ablatæ fuerant, Cirtha Romanorum erat, nec scimus quæ civitates in eorum loco regiæ fuerint. Nummos habemus harumce : Thabracæ et Tunizæ

(1) Liv. XXXIV, 62; Justin., XIX. 1; App., *Pun.*, 106. Cf. *B. afr.*, 97.
(2) Sall., *Jug.*, 56, 66, *B. afr.*, 91; Movers, *Phœniz.*, II, 2, p. 457-461.
Recentiora nomina : Enchir-Thala, La Calle.

(p. 52), sed sunt antiquiores, neque eæ civitates in regno Jubæ ponuntur; Tipasæ cum Hippone p. 54, 55); Suthulis (p. 59), quæ eadem atque Calama creditur, finitima, forsan extra, ceterum sunt antiquiores; Gadiauphalæ, Macomadum (p. 66); Tuccæ ad Ampsagam (p. 70), forsan extra regnum: et Tagurae (p. 67), quæ foris est: dein Salvianæ (p. 67) Zaraique (p. 69), utrarumque antiquiores. Vero simillimum videtur eas civitates, quarum plures Jubani non jam erant regni, non solas jure cudendi nummos libertatem suam asseruisse. Sed rei numismaticæ fides temere nimia non præstanda est in his temporibus, regionibus, urbibus. Nullam enim nummi certam anni notam præbent, et ætas utique eorum solum per diversitates leves in forma litterarum punicarum eis inscriptarum, raro securius, quæritur. Quantuscumque autem numerus liberarum civitatum et inter eas regiarum in regno Numidiæ fuit, fuisse plures non est dubium, neque earum condicio multum ab antiquo more distabat. Tunc demum commutari cœpta est quum, in ditionem romanam receptæ, jura varia quæ usque ad civitatem romanam optimo jure gradatim adipiscenda erant unaquæque obtinuit. Quam quidem mutationem tituli, quanquam primo Imperii sæculo pauci, tamen satis bene indicant, præsertim in Africa vetere: sed eadem fuerat in regno Numidiæ, mox provinciæ adjecto.

Recentiora nomina : Ksar-Sbai, Mrâkib-Talha, haud longe a Sidi-Ankaut, Belesma, Zraia.

B.

Numidiæ civitates, quibus punica origo et punicus sermo erat, Carthaginiensi similem rem publicam tenuerant. Senatus earum et principes ejus, græce πρεσβύτεροι, nominantur (1). Quomodo inter optimates ac populares, quorum contentionibus omnium in orbe civitatum per tot sæcula historia constitit, apud eas res se habuerit, ignotum, nec scimus an, quod quasi ubique evenit, victrix plebs evaserit. Probabile mihi videtur Carthaginem primum, postea multo magis Romam, optimatum partibus favisse ; regum autem forsan intererat ne nimis nobilitas polleret, quæ, semper unius dominationi adversa, et sibi et patriæ libertatem vindicat : utut est, partium ac factionum studia cur huc aut illuc variæ civitates in bellis e quibus adhuc recentes erant sese addidissent multum potuisse suspicor. Quinam fuerint magistratus quaque auctoritate usi, nescimus : forsan non una eadem tot civitatibus forma fuit. Tamen, nisi apud omnes sane apud plerasque, Sufetes primum locum tenebant, quos tituli Avittæ Bibbæ (*C. I. L.*, VIII, 797) nominant, et Calamæ (5306) et Curubi (10525) et Lepti minore et Thibicæ (765). Ex his omnibus apparet civitates in regno Numidiæ, civitatum in Africa simillimas, liberas vixisse, republica in eam ordinata formam quam Græci τιμοκρατίαν vocant, præeunte senatu ex nobilium divitumque gentium patribus conscripto,

(1) Liv. XXX, 12 ; Diod., XXIV, *Ex. de virt.*, p. 565; Sall., *Jug.*, 66.
Recentiora nomina : Henchir-Bou-Ftîs, Kurba, Lebda, Henchir-Bir-Magra.

et sufetibus duobus, qui quidem quomodo et ad quantum temporis crearentur nescimus.

In his urbibus negotia omnia et mercaturæ fiebant, peregrini considebant, mores denuo excolebantur. Jamdiu multa surgebant et pulchra ædificia, nobis tamen ignorantibus num aliquid in brevissimo quo dominatus est tempore Juba rex adjecerit. Sane, quatenus novimus, nihil quod ei plane ac evidenter adscribas inventum ; nec mirum, quum quasi omnia liberi ævi monumenta ubique novorum mole oppressa non distinguantur, vel, semel aut sæpius refecta, illam omnino formam perdiderint.

Jubæ finem regnandi fecit adscripta Africæ provinciæ Numidia, regnum vero rursus dedit accepta Mauretania. Inde ab eo tempore quædam de eo testimonia invenire est, pauca quidem sed aliqua ; exiturque ab illis tenebris quibus obtecta istius historiæ principia erant, et nummos titulos scriptores ipsasque ruinas ac priscorum hominum solo impressa vestigia duces fere semper habemus.

III

JUBA PRO NUMIDIA ACCIPIT MAURETANIAS ; QUALE REGNUM ID FUERIT ET QUALES IN EO GENTES.

Juba neque Numidiam neque Mauretaniam quæ fuerant obtinuit : nempe Masinissæ regnum tanto deminutum, Syphacis tanto exauctum ut alia omnino essent, accepit. Primum enim Mauretania ab Oceano ad Mulucham fuit, dein, dum res Numidarum ut supra dixi præcipitant, fines ad Nasavath, mox ad Ampsagam, protulit. Hanc demum Mauretaniam, bis inter fratres divisam ita ut pars Bogudiana altera Bocchi diceretur, novissime sub Boccho rege unam atque integram et eo mortuo populi romani quodammodo factam, Juba pro Numidia habuit. Atque ita populis omnibus ab Ampsaga ad Oceanum quem Atlanticum vocamus, scilicet Numidis Massæsylis ac Mauris, item Gætulis, gentibus vagis ad meridiem incolentibus, imperabat (1).

(1) Dio Cass., LIII, 26; Strab., VI, p. 288.

Tria quidem nomina, unum vero genus hominum est, quos hodie *Berberos* vocamus, uno atque eodem sermone utens, forsan in plures dialectos diviso, quem omnes iisdem litteris (libycas quas nos appellamus) scribebant. Nullam originis generisve diversitatem inter Mauros ac Numidas quum complures esse probaverint, satis plene repetiit vir ingeniosissimus Boissière in *Esquisse de la conquête romaine dans le nord de l'Afrique* (1) : quorum priorum nomen punicum esse videtur, neque aliud quam *Maouharin*, quod *Occidentales* sonat; quo utique a Numidis distinguebantur, ut nunc Arabes Numidarum Maurorumque regiones uno vocabulo *Maghreb* dicunt, id est *Occidentem*, dum romanam Africam *Ifrikia* vocant : Gætulos vero *Berberorum Saharicorum* majores fuisse non dubium videtur, scilicet eorum qui assidui in iis oppidis *ksour* nominatis vivunt, et eorum qui vagi per *Saharæ* solitudines agitant et quos *Touareg* nominamus. Horum lingua unius sermonis altera dialectus est cum *Kabylorum*, qui Numidæ sunt, et *Marocchinorum*, qui Mauri. Multum autem priscas gentium positiones per immensos harum regionum tractus conturbaverunt quum alia multa tum præcipue Arabum irruptiones, bella, et multitudo eorum in ipsa terra considens. Semiticum genus hominum magnum in Berberia locum obtinuit, et sæpius sanguine suo antiquorum incolarum sanguinem

(1) Lib. I, c. III. Vid. etiam Vivien de Saint-Martin, *Le nord de l'Afrique*, p. 100.

ita miscuit ut ex amborum conjunctione quasi nova gens crearetur, et linguam suam quasi ubique imposuit. Sunt etiam Saharam versus nationum situs mutati; causa latet, patet autem ipsa res. *Nigritiam* enim quam dicunt temporibus antiquis multo magis septentrionem versus protendebatur, et nigrorum hominum genus quod Æthiopas veteres dixerunt omnem Saharam tenebat, in quo nunc Berberi *Touareg*, nisi soli incolunt, saltem quasi toto dominantur. Transitio ab illis gentibus ad Jubæ subditas gentes per quosdam populos fiebat quibus nomina notitia digna, ut Leucæthiopum et Melanogætulorum (1). Atrum vero genus hominum quod partes Saharæ septentrionales occupabat, occupatque aliquatenus adhuc per oases recentioribus gentibus subjectum, non idem est qui partes intimas Libycæ terræ obtinet, sed facie moribus lingua et forma corporis diversum, sub *Rouaghâ* nomine ab eis qui proprie *nigri* in Europa vocitantur distinguendum (2). Sed nos Jubæ repetamus regnum, quod Saharam inter et mare patebat.

Hoc in tractu secundum regiones ipsa natura divisas, et populi dividebantur. Est enim quæ *Tell* vocatur et montuosa et culturæ habilis (3), quæ a maris littoribus in latitudinem plus minus c m. p. gradatim ad magnam altitudinem ascendit : eam, quippe quæ

(1) Plin., *H. N.*, V, 5, s. 6; Ptol., IV, 8.
(2) Carette, *Explor. scientif. de l'Algérie*, t. III, p. 304.
(3) Pol., I, 29; III, 22, 23; XXIV, 2; Mel., I, 8.

bona et frugum abundans erat, Mauri Numidæque colebant, grandis hominum numerus. Post altissimæ planities, quibus, ut Sallustii verba repetam, cœlo terraque penuria aquarum, arbori infecundæ patent, sed pascuis etsi aridis tamen satis ovibus aptis locupletes (1). Longius autem ad meridiem tendenti, superatis salsis paludibus quas *Chott* Arabes dicunt, aridior et vitæ minus patiens regio invenitur, quam Saharam minorem vocant. Supra quam sunt montes, qui, vastum obtinentes tractum, Saharæ majori supereminent ut littus abruptum mari. Hæ partes meridionales Gætulorum sedes fuere (2). Et omnium positiones ipse paucis verbis Sallustius dedit : « Loca usque ad Mauretaniam Numidæ tenent, proximi Hispania Mauri sunt ; super Numidiam Gætulos accepimus partim in tuguriis alios incultius vagos agitare, post eos Æthiopas esse, dehinc loca exusta solis ardoribus (3). » Omnium autem natura maxime conspicua apparet in hodierna Oranensi provincia, cujus partes meridionales peragranti trium aut quatuor terræ hujus regionum adspectus, opes, historia, casus satis bene discernuntur : nempe eorum diversitas nusquam clarius apparet, neque ibi, ut factum est alias, frequens cultorum populus vestigia veterum destruxit. Quibus ego summa cura perquisi-

(1) Sall., *Jug.*, 17 ; Liv., XXIX, 31 ; Pol., XII, 1.

(2) Herod., II, 32. Vid. Vivien de Saint-Martin, *Le nord de l'Afrique*, p. 16.

(3) Sall., *Jug.*, 19.

tis et examinatis, nonnulla de statu antiquo quæ reperisse mihi videor dicam.

Mauretaniæ pars quæ *Tell* vocatur inde ab illo tempore quo Arabes incolas accepit, deserta et, exceptis vallibus aliquot, prope desolata facta est. Quippe qui vagum vitæ genus, ut pigritiæ latrociniisque dediti, unicam prope divitiam in pecoribus ponentes, agunt, et natura feracissimos campos pascua et solitudines fieri voluerunt. Hinc sylva inutilis immensos absumit tractus, aut rursus ubi proderat incenditur aut vastatur; hinc cursus aquarum, qui antea arginibus muniti per fossas aptissime ductas irriguos agros alebant, operibus aut neglectis aut ex industria deletis, nunc in convallibus vagantur omniaque late vastant, nunc æstu fervente arescunt; hinc omnem fere terram occupant vepreta, obsidet febris; aut paludes aut campi aridi ditissimæ olim regionis (1) tenent locum. Prius autem quam Mauretanias perderet locustis simillima natio et quæ boni aliquid nusquam aut fecit aut faciet, longe aliter res erant : quarum imaginem servant, evanidam sane et qualem post tot ferrea sæcula facillime esse intelligas, saltus et montani tractus in quibus prisca hominum gens libera usque sese asseruit. Hic, ut in *Kabylia* majore, perfrequens genus humanum, culta usque in montium jugis terra, rudis sed fervida utilibus rebus industria,

(1) Jul. Front., *De controv. agr.*, ed. Lachm., I, p. 88, II, p. 36. Cassiod., *Rel.*, III, 53. Procop., *B. Vand.*, II, 19. Colum., IX, 14. *Voyage d'étude*, p. 33-37, 52-54, 59.

labor undique indefessus, nusquam ignava paupertas. Ita ut ferus sane ac barbarus populus sit, sed numero viribus et labore valeat. *Marocchinorum* regionis montanæ partes innumeram gentem alunt, neque minus hominum dives quæ nunc *Algeria* vocatur tunc erat : nam, nisi falsa indicia præbent veterum in solo vestigia, multo plus quam CXX, forsan etiam CL, centena millia hominum tulit, quæ nunc vix XX habet (1). Quo fit ut multo CC minorem universi regni Jubani populum fuisse non credibile sit.

Vivebat ab antiquo Maurorum Numidarumque genus per castella rupibus arduis aut montium partibus remotis imposita, accessu tam difficili ut interdum ne incolis quidem nisi per scalas pervia essent, nedum hostium impetui. Quorum multa exempla quum inspexerim, placet unum repetere, cujus et formam tabula expressi in supra citato opere (2). Vastissimi montis plus MMM ped. alto cacumini insidens regioni late supereminet, et pro territorio habuit ipsius montis molem, saltus, sylvas, et modicas planities in convallibus aut jugis patentes. Duas occupat rupes et quidquid spatii interest : una nescio quo pacto, altera rudibus in ipso saxo incisis gradibus aditum habuit. Quarum utrique et spatio intermedio insidebant domus, ex quatuor parietibus constantes, interdum assibus et arborum truncis in modum scapharum structæ, quas veteres *mapalia*, recentiores

(1) *Voyage d'étude*, p. 11-14.
(2) *Ibid.*, tab. III.

gourbis vocaverunt (1), tectumque iis fiebat ex opere cæspiticio, aut congestis virgultis quæ forsan rusticum in modum compingebant contexebantve. Plerasque area parva circumdat; viæ deerant, nam spatio perangusto populus haud tenuis locandus erat, transitus ab una ad alteram per portas arctissimas erat. Juxta multæ fossæ, quas *siros* (nunc *silos*) vocabant (2), servando frumento abscondendisque rebus aptæ. Hæc erat temporibus priscis Maurorum urbium facies. Mox autem, pace per majorem regum populi romani sociorum et amicorum in regulos subditos auctoritatem et stabilita et custodita, latius per campos spargi genus humanum incipit, et undique, aut in prædiis singulæ colentium domus, aut in locis vel aquosis vel ad utilia commercia aptioribus vici et numeri domorum ponuntur. Plurimorum autem pagorum incolis in unaquaque regione, si bellum aut tumultus fiebat, perfugium præbebant oppida, vacua reliquo tempore pauca militari familia in custodiam relicta. Quorum situs et indolem quum nonnulla alia tum optime illud mihi ostendit quod, Saidæ maxime vicinum, castrorum Jugurthæ nomine perperam decoraverunt (3). Est montana planities, pass. circ. DCC longa, lata autem CCCC, cui aditum dat isthmus paulo CV latior. Undique prærupti scopuli, interdum usque in CL ped. altitudinem eminentes, ipsam portant planitiem. Valles occupabant rivi, quorum unus, ut aquam oppidi

(1) Sall., *Jug.*, 46, 18; Virg. et Serv., *Æn.*, I, 421; IV, 259; Mel., I, 8.
(2) Vid. F. Lacroix, *Rev. afr.*, 1870, p. 105-108.
(3) *Voyage d'étude*, tab. IV.

defensoribus præberet, per objectum ab altera parte in arctissimo jugo propugnaculum ab hostibus tutus erat. Murus isthmum claudebat per quem ipsa planities, in peninsulæ formam a natura quasi exstructa, reliquis montibus attinet. Vastissimum intus spatium, paucis huc illuc sparsis domibus aut ad servandas impensas ædiculis, sacello medium occupante locum, vacuum omne remanebat. Huc instante bello undique confluebant populi, seque et sua omnia intra murum recipiebant : qui nisi impetu superaretur, quod quidem defensorum multitudine arduum opus fiebat, a sola fame hostibus speranda erat victoria. Atque ita partem Mauretaniarum potiorem colebant et defendebant populi. Frugibus autem abundans erat et arborum in montanis partibus dives, ita ut et duas messes ferret (1), et mali Hesperiæ citriæque aliæque fructiferæ species sponte ut nunc nascerentur, sed montes, præsertim molem ejus qui Dyrin veteribus nobis Atlas nomen habuit, occuparent largæ antiquarum citrorum cedrorumque sylvæ quarum humile vestigium decantatam illam apud *Teniet-el-Haad* miramur.

Tractus vero qui supra patet, quem gallice *Les Hauts Plateaux* vocant, etsi pastoribus aptior, partim tamen, ut tunc erat aquis multo quam nunc est ditior (2), et colonorum terra fuit. Cujus per immensa spatia mapalium undique numeri aut oppida hic illic jacebant, quæ pastoribus receptum, agricolis sedem,

(1) Strab., XVII, *l. c.*; Coripp., *Joh.*, II, 156.
(2) *Voyage d'étude*, p. 60-63.

darent. Quædam, meridiem versus, multis m. p. unum ab altero distantia sed propemodum in lineis posita, vias antiquitus mercatorum agminibus tritas et usu omnibus notas indicant. Quædam etiam in magnam et hominum et domorum creverant frequentiam : unum ego millia mortalium ad x agnovi tenuisse, miram prorsus multitudinem illic ubi longe lateque per m. p. CL patet hodie solitudo. Quum autem ad meridiem pergis, ut sterilior terra, sic rariores veterum hominum sedes efficiuntur, donec omnino deficiant. Hic meliores Saharæ minoris partes Gætulorum greges et armenta, præsertim multitudines ovium, pascebant, nomadumque vita fuit ; sed maxima pars terræ solitudo erat. Supra quam oppida, longius meridiem versus, per saltus nunc *Karobet, Moudloua*, *Amour* vocatos et complures ad Occidentem quos tenent consociatæ *Ouled-Sidi-Cheikh* gentes, aut montibus imposita, aut valles oasium modo riguas tenentia, ab reliqui humani generis consortio quasi seclusa abscondebantur.

Hunc vitæ tenorem diversum secundum soli cælique rationem gentes regni Mauretaniarum secutæ, in hoc tamen consonabant, quod barbaræ et incultiores manserant, neque sicut in regno quod Juba prius tenuerat Romanorum Græcorumque artes apud eas profecerant. Agrestes enim gentes rerum ad vitam exornandam aut commodiorem faciendam idonearum negligentes fuerant semper et adhuc sunt. Quos enim nos in sordidis et miserrimis Kabyliæ tuguriis pauperes similiter ac commodiores degere cernimus, hos

ipsos per totum *Maghreb* hanc ipsam agitantes vitam descripsit Ibn-Khaldoun (1), et noverat Procopius, quum eos humi dormire, neque pane neque vino, nullo cibo bono uti, easdem semper vestes nunquam mutatas tenere, omnia pecudum potius quam hominum ritu agere ait, et viderat Sallustius qui similia de iis tradit. Forte autem ac robustum genus et artes sibi utiles tractabat. Quippe qui vestes villosas quas pro lecto humi sternebant, alias quas corpori induebant, et texere et ornare coloribus noverant; fictilia vasa multa et bona, interdum non indecora, arma, instrumentum ad agros colendos aut ad domesticos usus necessarium multa industria optime parabant; æs quidem potius a Pœnis accipiebant quam ipsi, deficientibus et stanno et cupro, creabant; sed ubi ferrum erat, quod in variis regionis partibus abundat, effodere conflare in omnes convertere usus, plus sane quam illis temporibus alii multo quidem excultiores populi, valebant; ubi non, ut fit in Gætulia, silice cæso armabant hastas sagittarumque capita, priscorum hominum modo, et silicem, prædura saxa, ossa etiam belluarum solertissime humanis usibus inservire faciebant; lignum denique scalpere, sculpere, omnimodo in formas varias et multiplex instrumentum ducere, mirabiliter noverant (2). Nec adeo rudes erant ut principes ac reguli et superba nobili-

(1) Ibn-Khald., tr. de Slane, t. I, p. 166 etc...; Proc., *B. V.*, II, 6; Sall., *Jug.*, 18.

(2) De harum regionum temporumque artibus dicta quædam invenies in *Voyage d'étude, passim.*

tas, humanioris vitæ commodorum vel inscii vel despicientes, tamen quoddam magnificentiæ genus barbarorum modo splendidum non ambirent. Scimus eos auri argentique quantum poterant vestibus inseruisse aut in cultu suo feminarumque erogasse, et corpori ornando mirum in modum studuisse. Iis autem bella tributa mercatura aut prædam aut aurum aut peregrinarum artium opera comparabant, et divitiæ servorumque multitudo emere aut facere multa plebi per inopiam negata concedebant. Pulchra et pretiosa multa etiam ars barbara efficere potuit, aurificesque valentes in Mauretania fuisse et reperta ornamenta veterum et hodierna industria docent. Quinimo et ingenuas artes non illic tantum, sed apud gentes Gætuliæ ultimas quodammodo floruisse constat, quum in ipso Saharæ majoris limine, superatis saltibus extremis a Romanis nunquam occupatis, incisas scopulis vastis longas imaginum series, rudes sane et informes sed a quibus non aberat similitudinis quædam ingeniosa sollicitudo, milites nostri mirati sint (1).

Numerosissimam igitur ferocium hominum gentem Juba rex acceperat, quam, ut erat adhuc inculta, nondum romano imperio maturam existimaverat Augustus. Pœnorum enim imperium quum aliquatenus pati multos per annos coacta esset, pauca ab iis recepit :

(1) *Comptes-rendus acad. I. et B.-L.*, 28 av. 1882; *Voyage d'étude*, p. 76, n. 1 ; et quæ de ætate earum figurarum disserui, in *Bull. de corr. afr.*, 1882, fasc. 6.

primum quod multo minus quam Numidiæ pars orientalis et domita et obediens erat, dein quia subjectos sibi excoli homines ægre potius Carthaginienses ferebant, nihil aliud nisi vendendi exigendique arbitrium apud barbaros affectantes. Plura tamen, sed quæ exponere non concedit locus nec ipsius libri tenor et intentum, etiam ab iis didicerant Mauri : exemplum architectura foret, quam, quum nullam ipsi prius haberent, a Pœnis imitatos docent pauca humiliorum hujus ætatis ædificiorum in tunc primariis urbibus aut oppidis vestigia. Ceterum populi romani vires experti, jam majestatis ejus reverentiam discebant, non adeo tamen ut ad omnia proni ac parati viderentur : ut quibus mobile ingenium, aspera indomitaque indoles, prompta semper ad novas res, odiis studens et factionibus, facile extremis applicans se consiliis. Quibus ubi accendebantur, bellum undique flagrare, castella muniri, in oppidis collecta imbellium multitudine ad saltuum transitus aut viarum loca angustiora concurrere armati homines, dum rex aut princeps populi, conglobatis equitibus et convocata nobilitate, hostibus obviam ibat. Qui quidem si legiones erant, quasi semper fusa equitum multitudo magnam partem terræ Romanis vastandam linquebat. Tunc, thesauris repositis in arce inexpugnabili, fugam maturabat rex comitante familia et si qua fida manus erat : qui, acrius hoste insequente, et ipsi quantum poterant regionis depopulati solitudines petebant. Quodsi audax Sylla aut Marius persequeretur, corrumpere fontes, puteos claudere, abigere locis incolas, deni-

que in tutos Gætulorum saltus, desertæ terræ immensa solitudine interposita, confugere; unde cito, refectis viribus et nomadum juventute lecta, nova in prælia redibant. Neque aliter bellum, si forte regulus aliquis aut gens una desciverat, etiam regi erat faciendum.

De regibus Numidiæ dicta, et de Mauretaniæ vera sunt : quare neque ea repetam, nec quæ de regni tenendi et gubernandi ratione. In Mauretania quoque urbes numerosæ erant, aliæ coloniæ Phœnicum, aliæ quorum nominibus arguitur Libyca origo, ut Lambdia, Lemellef, Tigisis, Tigava, Tiranadi, Usinaz, Tipasa et aliæ permultæ, postque multitudo earum quæ sine nomine noto ruderibus de se memoriam faciunt. Regias habuisse notum est aut Syphacem aut alios reges, præcipue Sigam et Tingi (1), quarum una ad Issarim erat m. p. III ab ostio, altera ad Columnas Herculis mare externum spectabat. Neque juvat alias repetere auctoribus nominatas urbes, et regni Mauretaniarum geographicam descriptionem haud necessariam texere.

Punicæ quæ fuerant urbes, per littus undique sparsæ, et Igilgili, et Saldæ forsan, certe Rusazu Rusippisir Rusuccuru Rusubriccari Rusguniæ Rusaddir, nec minus Cartilis Cartennæ, et alii portus quos Romani

(1) Vid. Müll., *Num.*, t. III, p. 147.

Recentiora nomina : Medeah, Zeraba, Aïn-el-Bordj, Saint-Cyprien-des-Attaf, haud longe a Berouaghia, Saneg, Tefessad, Takembrit, Tanger, Djidjelli, Bougie, cap Sigli, Azeffoun, Tigzirt, apud Bordj-ben-Rafaï, cap Matifou, Melilla, El-Bordj, Tenès.

Magnus et Divini vocaverunt, et multæ præterea urbes aut littori insidentes aut in interioribus conditæ. Sed caput totius regni apud Massæsylos fuit, Iol, antiquitus Phœnicibus, nisi forsan prius et Numidis, habitata diu civitas, quam ab Hercule conditam veterum fabulæ ferebant et Juba Cæsaream vocans splendidissimam effecit. Prius autem quam ex ea Romanorum et lingua et artes rege auctore regnum penetrarent, plurimum in eo valebant Pœni : quorum tantum in numerum increbuerant coloniæ et urbes ut, ne eas repetamus citra Columnas Herculis positas, per littora Atlantici maris ccc nec minus locos aut ab eis aut a Tyriis antiquitus occupatos fuisse Eratosthenes dixerit (1). Nimium profecto numerum, sed memoriam perstitisse immensi imperii ostendit. Neque vero in illo littore quod olim Hanno lustraverat omnia prorsus perierant, quum sinus a freto Gaditano ad Solis promontorium per immensum tractum patens Emporicus nomine dictus fuerit, exstiteritque apud Lixum Herculis Tyrii templum, ultra Semes ipsum illud promontorium Solis; variæ denique civitates tunc magnopere florerent, Romanis dominantibus etiam florentes mansuræ (2). Liberas sub regio dominio fuisse eas civitates eamdemque habuisse conditionem earum quas in Numidia vidimus et patet et insuper docent complurium nummi : nam

(1) Strab., XVII, p. 826, 829.

(2) *Ibid.*; et Plin., *H. N.*, XIX, 22; V, 1.

Recentiora nomina : Arzew, Oran, détroit de Gibraltar, cap Blanc, El-Araisch.

exstant quos cudebant Iol (Müller, III, p. 138) Siga (p. 142), Tingi (p. 144), Camarata (p. 142), Timici (p. 143), Calama Maurorum (p. 144), Zilis (p. 153), Lixus (p. 155), Tamusia (p. 161), Sala (p. 163), Semes (p. 164), Rusaddir (supp., p. 78), forsan Chalka, Tasacora, Gadaum (p. 178), Rutubis (suppl., p. 80), et aliæ plures quorum nominis notam satis plene discernere Muellero non licuit (1). Nummi earum, et regii a Jubæ antecessoribus facti, solertem artificum manum plerumque denuntiant, nec Græcorum aut Carthaginiensium sequiorem imitationem. Nec inglorium punicæ nationi et parvi decoris videtur quod per eam, in partibus orbis ab omni humaniorum gentium consortio interclusis, duraverint civitates liberæ divites magnæ, ubi artes florerent, negotia exercerentur, cultum vitæ genus in media barbarie vigeret, et quarum etiamnunc rudera per inhospitum Oceani littus aut Tingitanæ spatia demonstrent magnitudinem.

Erant autem in eodem regno et romanæ civitates. Nam Augustus undecim colonias miserat, quarum tres in Tingitana, quæ prius Mauretania Bogudis, octo in Mauretania Bocchi, quæ post Cæsariensis fuit. Sunt autem, Plinio auctore (2), Zilis, Babba et Banasa, Cartenna, Gunugi, Igilgilis, Rusguniæ, Rusazus, Sal-

(1) Müll., *Num.*, III, p. 169-170, et *Suppl.*, p. 80.

(2) Plin., *H. N.*, V, 1 et passim.

Recentiora nomina : Schemmis, Cherchell, Oued-Rhaser (?), Tefesva, Azila, Mahadia, Sala, Melilla (?), Hammaïte (?), Tagdemt, Beni-Teude, Sidi-Ali-Bou-Djenoûn.

dæ, Zuccabar et Tupusuctu, pleræque in maritimis et punicis urbibus deductæ. Has fere omnes videtur ex veteranis fecisse post Actiacam pugnam, quum civilis belli milites per orbem colonorum modo quietem sibi, frequentiam terris, tutelam provinciis dare coegit, ann. a. C. 30. Cartennam II leg., Saldas et Tupusuctu VII homines deductos fuisse et tituli et Plinius docent (1). Harum vero omnium condicio quæ fuerit satis etiam discernitur. Egregie enim Wilmannsius conjecit ea quæ de Zili Plinius ait, regum scilicet ditioni exemptam juraque in Bæticam petere jussam, ad Babbam et Banasam similiter pervenire (2). Quid autem sit sentiendum de octo in Cæsariensem deductis coloniis evidens est. Quamvis enim longius a Bætica propiores Africæ essent, cui provinciæ addici poterant nisi regem præfecti loco eis esse Augustus mallet, crederem tamen eas liberas fuisse ab omni regis arbitrio, atque etiam Bæticæ addictas, et, quum essent in eodem regno ac Tingitanicæ, ab eadem quoque pependisse provincia. Præter eas in regno fuisse et municipia constat : unum saltem paulo ante in civitatem receptum fuerat quam coloniæ deducerentur, ann. a. C. 38. Tingi erat, civitate a Cæsare D. f., Boccho regnante, donatum (3). Ceterum verosimile est ipsas nondum colonias perfecte

(1) Plin., *H. N.*, V, 2; *C. I. L.*, VIII, 8931, 8933.
(2) *C. I. L.*, VIII, p. 855 ; Plin., *H. N.*, V, 1.
(3) Dio Cass., XLVIII, 45.
Recentiora nomina : Sidi-Brahim, Affreville, Tiklat.

constitutas fuisse : nempe iterum a Claudio principe, Mauretaniis in provincias redactis, aliquæ earum conditæ, saltem gentibus auctæ, videntur, ut Babba, quæ sibi nomen Coloniæ Juliæ Claudiæ adscripsit (1).

Has terras hos populos ita natos et viventes Juba pro Numidia habuit, donum populi romani.

(1) Müll., *Num*, III, num. 265. Ita sane ait Zumpt, negant autem plures, qui *Coloniam Juliam Campestrem Babbam* legunt. Vid. *ibid.*, p. 172, 173.

IV

JUBA IN MAURETANIIS REGNAT DIU ET FELICITER ; ÆDIFICIA, URBES CONDIT, ARTES FOVET, CÆSAREAM ORNAT, MONUMENTUM SIBI POSTERISQUE STRUIT ; BELLA GERIT ; A S. P. Q. R. PRINCIPIBUSQUE HONORATUR.

Juba quibus artibus regnaverit diserte quidem nullus auctor scripsit, nobis tamen aliquatenus intelligere licet. Qui, ut erat cautus et ad res tractandas exemplo Romanorum Augustique et regum monitus, populi sui et temporum indolem simul perpendens, mihi ita egisse videtur. Jure quidem nulla ex antiquis rebus mutata, quum neque imponi quidquam tutum fuit neque per vim aut legem imposita ingratoque animo accepta in perpetuum durant. Sed exemplo potius et auctoritate quam regali nomini augebat Principis amicitia et opibus quibus abundare omnimodis semper studuit, primum principes divitesque ad humaniorem inducere vitam, qui paulatim, ævo progrediente, et populum traherent, juvante insuper peregrinorum concursu. Plurimum sane posse consilio

prudentia constantia ad mores mutandos reges apud eas gentes monstraverat Masinissa, qui Numidas ex prædonibus milites, ex nomadibus agricolas, ex feris homines, sæculari prope regno paulatim effecerat (1). Jubam ad idipsum Mauretaniis præfectum ab Augusto fuisse nemo dubitabit; sed mihi ante omnia quietem suam cordi habuisse videtur. Natura magnificus, artium litterarumque cultor egregius, sibi vitam qualem Romæ aut Athenis noverat, regno pacem, nihil ultra voluit : quæ tamen, ut ea non frustra voluisse videtur, ipsa natura haud parum ad mutandos populi mores et emolliendam feritatem valuerunt.

Erat Iol urbs vetus mari insidens loco pulcherrimo, quondam Pœnorum civitas, adhuc tamen ignobilis, quanquam clara apud Massæsylos et Boccho habitata regi. Hanc fore sedem suam, hoc cetero regno exemplum, hanc artium humaniorum quasi arcem et in Mauretaniis patriam Juba quum constituisset, Cæsaream in honorem domus in qua ipse adoleverat nominat (2). nec postea exornare et omnibus commodis deliciisque instruere desiit (3). Erant, quum Galli Algeria potiti sunt, ruinæ Cæsareæ intactæ neque aliud passæ præter vetustatem ; quæ tunc pulcherrimas Numidiæ et Africæ urbes, et Thevestem et Lambæsim et Carthaginem et Thysdrum et qualescumque alias, sine dubio in certamen vocarent, in hoc saltem

(1) App., *Pun.*, 106 ; Strab., XVII, p. 474.

(2) Quod ad nomen pertinet, vid. *C. I. L.*, VIII, p. 800.

(3) Strab., XVII, p. 831 ; Plin., *H. N.*, V, 1.

facile vincentes quod major pars melioris erant ævi monumenta, multa regum Augusti Tiberiique æqualium. Sed ea hodie aut eruta jacent aut omnino perierunt, aut tantum mutila supersunt ut ætas forma ratio eorum non appareat. Neque unquam ordine certo investigationes factæ sunt, sed omnia temere radicitus eversa, misere corrupta, consulto expilata. Manent tamen quæ priscum urbis regiæ splendorem et aliquatenus statum ac formam inquirentibus aperiant, quanquam dum per longa sæcula florens civitas manet et apud se habet Augustorum procuratores (immo et Imperatoribus quoque natales præbuit, Macrino scilicet et Diadumeniano), multa renovata, condita, mutata fuerunt, nec facile si quid Jubæ sit utique attribuendum cernitur. Tamen, quum ab eo initium splendoris et maximam decoris sui partem Cæsarea habuerit, qualis sit breviter dicam (1).

Est hodierna Cherchell modica sed bona civitas quæ hujus partis littoris quam Cæsarea tenebat medium occupat locum, in decagoni formam intra mœnia conclusa, cujus longitudo ne CCCC quidem pass. implet ; sed Cæsarea cui forma haud multo dissimilis erat, plus MDC pass. longa, MCC larga fuit. Juba tamen regnante non tantum spatii muri ejus cingebant, sed eorum vestigia plus quam pass. CCCL retro

(1) Non tam imperfecta descriptio cum tabula invenietur in *Revue africaine*, 1870, p. 129-165 ; neque frustra legetur doctus ac strenuus vir Héron de Villefosse, *Mission en Algérie*, p. 2-22 ; atque e vetustioribus, præter inclytum hujus oræ exploratorem Shawium, dixit de Cæsarea Jubaque Belley abbas, in *Acad. I. et B.-L.*, t. XXXVIII, cum tabulis.

stant, et romani qui cernuntur multo post ad includenda extra pomœrium structa jam forsan a principio ædificia inchoati sunt, et absoluti aut refecti Byzantinis dominantibus. Circumdant ii quidquid clivi a jugo montium plus quam DCLX ped. altorum (quibus imposita est montana grandis planities a populo dicto *Beni-Menasser* occupata) descendit ad littus maris, quod præceps pendet. Hujus clivi pars inferior aut fere aut omnino plana est, atque ibi continua ædificia, reliquo spatio non ita frequenter habitato, major ruinarum numerus indicat. Sub ipsam urbem in mare mediocris peninsula tendit, quæ portus extra mœnia faciendi et tuto et in amplum opportunitatem dederat. Portus erat triplex, interior quo hodie refecto utuntur, exterior cujus molem partim adhuc cernere est, et cothon arte creatus cujus indicia exstant. Mœnia autem quatuor portas habent, saltem quatuor repertæ sunt, perque urbem transibat via littus Mauretaniarum a Carthagine Tingi secuta, et aliæ plures minores ad loca aut vicina aut longinqua tendebant : omnes compluribus sepulcris sequens tempus exornavit, inter quæ inventa fuerunt libertorum domus regiæ columbaria.

Temere factæ effossiones multarum ætatis romanæ aut Jubanæ domorum vestigia aperuerunt, quæ quidem non omnia latebant. Quidquid autem supra solum erat jamdiu ad munimenta aut alia ædificia construenda demolitum est. Est hodierna Cherchell referta fragmentis antiquis, columnis, sarcophagis, sculpturis titulis, quæ parum aut nihil custodiuntur. Erant autem

ædes complures, quarum una, perperam thermæ a recentioribus nominata, duas absides altas et pulchras ostendit, sed assidue devastatur, altera media urbe regia domus falso dicitur. Erat forsan regum sedes ubi hodie, haud longe a porta qua Cartennam itur, cernere est magnum cumulum partim latomiarum ritu effossum, unde multa et pretiosa artis monumenta prodierant, sed deleta magna ex parte fuerunt, ita ut coquendæ in calcem etiam marmoreæ statuæ darentur. Locus sane est opportunus, unde maris littorisque pulcherrimum spectaculum est, eumque a Beulæo merito indicatum putarem nisi alii thermas contenderent : effossionibus certa ratione ductis illic profecto opus est. Quatuor autem aliæ thermæ diversis urbis partibus noscuntur : quarum quæ portui vicinæ sunt, hodie præter piscinam unam deletæ, a Shawio intactæ visæ sunt ann. D. 1732 et maximæ splendidæque fuerant. Ceterum littus omne muris et operibus abundat, quorum partes, mari corrodente, quotidie præcipitant. Sed, ut taceam porticus, templa, ingentem hippodromum, vivaria, pavimenta operis musivi omnium temporum undique reperta, tria in primis pulchra erant antiquioris ævi monumenta. Theatrum enim grande quod media urbe stabat paucis adhuc eminentibus vestigiis splendorem suum demonstrat, reliqua operiunt recentiora ædificia, terra tegit, fregerunt aut frangunt asportantque incolæ, et prope nihil superest e ditissimo ædificio memoria S. Arcadii ibi martyrium passi claro. Sed usque ad ann. D. 1840 quo Galli urbe

potiti sunt, intactum, scena tantummodo destructa, stantibus autem e lapide quadrato cuneis, fornicibus, et mirabili porticu marmoreis ægyptiisque columnis insigni, duraverat. Amphitheatrum quoque, quod ann. D. 1873 Villefossius satis bene stans invenerat, vidi ego novem annis post jam corruptum et prædantibus consulto permissum : quod tamen longum ped. circ. CCCL, largum autem circ. CLV, optimi temporis opus, insuper martyribus Marciana Fabiano Severiano et Aquila illustre, servare, ut opinor, deceret. Nullum autem opus forsan majus et pulchrius erat quam aquæ ductus Cæsarienses. Piscinæ limariæ, lacus, castella aquarum, omnia mirum in modum et frequentia et grandia, exstant, quæ copiam largiebantur populo numerosissimo et compluribus balneis. Longi autem ductus et eximii operis erant, qui, XX m. p. in longitudinem excedentes, aquas ex monte hodie *Djebel-Chenoua* nominato et fluvio *Oued-el-Hachem* dicto, modo per spatiosos et capaces cuniculos, modo per specum arcubus magnis impositum, usque ad urbem ferebant. Raro alias cernitur hujusmodi splendidius opus, nam et adspectus prodit artem manumque optimi temporis, et interdum superpositi tres excelsissimorum arcuum ordines addebant utilitati decus.

Nullum esse ædificium dixi quod certo indicio monstret a Juba fuisse conditum. Sed quum plura ex his quæ jam raptim memoravi illiusce ævi et magnificentiæ sint et ex numero eorum quæ ante omnia in urbe condenda ad publicos usus exstruenda sunt, satis probabiliter videntur jussu regis facta

fuisse (1). Præterea Jubam clare denuntiant artium alia monumenta, statuas dico, quas multas et pulchras Cæsarea præbuit.

Apparet enim ex eis quæ in thermis et aliis locis, sed præcipue in Regia quæ dicitur, repertæ sunt, notissimarum in illo tempore statuarum multarum exemplaria a Juba collecta fuisse. Quædam adhuc Icosii, Parisiis, aut Cæsareæ servantur; aliæ aut ruptæ inventæ, aut postea fractæ et coctæ in calcem comminutæve ad muros faciendos interiere; aliquot fraus extra Algeriam misit. Est tamen Cæsareæ musæum, sed sub Jove, et per longos annos incuriosius custoditum, nunquam satis munitum : ex quo et ex urbe nummi, tituli, fragmenta, aliaque plura usque in remotissimas Europæ regiones nescio quo modo migrasse dicuntur. Fuisse, qui tunc præerat jubente, plaustro impositam una cum congerie aliorum ejusdem generis marmorum Venerem illam dicunt quæ Icositano musæo maximum decus et ornamentum est, et, nisi intercessio fuisset fortuita generosi hominis, cum brachiis et capite (quæ prius visa esse aiunt, sed inter

(1) Ex ejus nummis quatuor eo regnante dedicata sacra novimus : Isidis lucum cum ara, de quo ad cap. VI dicetur; Augusti lucum cum ara; Augusti templum, quod hexastylum, forsan ionicum, effingitur, aquila expansis alis in ætomate posita; Astartis sacrum, quod videtur ædiculum cum ætomate acroteriis ornato, cujus fastigio luna crescens imposita est; porta, quæ clausa est, clathrata apparet in eum utique modum quo fenestræ illæ punici generis quæ multis in locis, sed maxime Tipasæ, in Mauretania inveniuntur; ipsique ædificio, cujus forma sacelli est crepidini impositi, adstant duo cippi vel columellæ, sed vasa quoque aut aræ parvæ esse possunt, quæ non tantum bene cernuntur.

cetera fragmenta quærere non concessum est) ad fornacem ducebatur.

Est Venus Cæsariensis, nunc et ipsa clarissima, inclytæ Mediceæ alterum exemplar, quod manum doctissimam prodit. Neque inutile erit ad ingenuarum artium per ea sæcula historiam animadvertere quomodo artifex, dum scalpri Græci docilem vividamque simul dulcedinem Romanorum temporibus sæpissime pro siccitate et rigiditate mutatam acrius persequitur, ad nimiam mollitiem accesserit, formarum hebetudini vicinam. Nihilominus inter bona artis antiquæ fragmenta Cæsariensis Venus locum sibi poscit, nec pulchrius aliud innotuit in Africanis provinciis. Sunt etiam Icosii exemplar Fauni cum Hermaphrodito, simile Parisino, et alterum Cæsareæ. Cæsareæ quoque Diana currens cum cerva, quæ notissimam statuam non egregie repetit, et Venus una ex iis quæ pudicæ appellantur, delphino apposito. Exemplar quoque hic adest nobilis illius Capitolini æris ab Italis vocati *Marzio*, a Gallis *Le Tireur d'épines;* sed Cæsariense Parisino, quanquam mutilo, tantum cedit ut ne justa quidem figuræ repetitio sit. Facile quoque notorum apud antiquos operum exemplaria erunt Pallas ægida in modum alias rarum gerens (1), Faunus currens cum panthera, et Diana quædam vestita. Ex iis omnibus cernitur Jubam quidem consilio nobilissimum quodque opus in regia sua repetitum exhibendi laudabiliter studuisse, non autem semper ab artificibus

(1) H. de Villefosse, *Mission en Algérie*, p. 19.

quibus res commissa fuerat desiderio optimo plene satisfactum.

Multas insuper Cæsarea dedit statuas multaque fragmenta, sed negligendum nobis est quidquid prodit posteriora tempora. Non indecora videntur quoddam Solis Helii caput, et Pan admodum mutilus, caput Bacchi, et anaglyphum quoddam Parisiis exstans. Est quoque Neptuni colossus quem nunc Icosii servant. Herculem, cujus exstat solummodo truncus, valde pulchrum judicarem; et fuerunt reperta insuper tria colossorum capita, Oceani forsan et dearum maris, in quibus majestas cernitur et aliquis etiam splendor. Vernaculæ artis forsitan erit specimen mulier singulariter ornata, nihil græci aut romani monstrans, sed accuratiorem manus adhuc fere rudis laborem. Antiquissimam Iolis memoriam revocavit eruderatus a Texiero quondam punicus deus Eschmoun (1), sed ad Jubana tempora redimus cum pulcherrima Regis Ptolomæi, Jubæ filii, protome Parisiis asservata. Eisdem quoque temporibus ab Ægypto allatum videtur Thotmetis I regis signum, cujus fragmentum cum titulo Cæsareæ repertum est, et facile Cleopatræ fuit (2).

Ea omnia quisquis inspexerit, intelliget subito Jubam, nec minus ejus uxorem, artibus in Cæsarea hos-

(1) *Rev. afr.*, 1870, p. 69-70.

(2) Nuperrime prodierunt pavimentum musivi operis in quo Charites pinguntur, Bacchi truncus alterque Veneris, muliebris statua humanam aliquanto excedens staturam, multaque insuper alia quorum numerum, institutis privatorum ope effossionibus, quotidie augeri accipio.

pitium, fomenta, exempla, omnia præstitisse. Quod si non semper splendide res eis omnino cessit, quidquid tamen fieri poterat studio impensa voluntate, in regno ab Urbe remoto et cui e prisca barbarie nondum exire licuerat, ab eis factum fuisse nemo est qui inficietur. Certe quanquam multæ habeant grandia urbes monumenta, nulla in Mauretaniis, nulla forsan in Africa, plura et meliora opera artis horum temporum exhibuit.

Juba autem in artium historia non illis clarus manebit, sed alio monumento cujus auctor ipse fuit. Sepulcrum illud dico, nunc *Kbour-er-Roumia* (*Tombeau de la Chrétienne* est) vocatum, quod fuisse Mela (1) testatur monumentum commune regiæ gentis, sibi et suis a Juba conditum. De quo, ut est pernotum, ne verbum quidem facerem pauca nova allaturus, si Jubæ et Mauretaniæ historia de eo tacere posset, et valentissimi homines qui eum notum fecerunt nonnulla non omisissent quæ mihi animadvertisse videor. Sed quam brevissime absolvam.

Jubam et Cleopatram fuisse græcæ artis sectatores et traditur et ex eis quæ supra dixi cernimus, ita tamen ut haberet quisque sua propria studia. Cleopatræ enim Ægyptiaca omnia placuisse et jam scimus et demonstrabunt nummi compluraque alia, ut quæ se e Ptolemæorum præclaro sanguine natam testari ubique cupiebat. Juba autem, etsi ad romana multa quidem se applicaret, tamen propriam gentem in hoc

(1) Mel., *De sit. Orb.*, I, 6

saltem secutus est quod regum Numidiæ sepulcrum suo sepulcro imitari voluit. Est in Numidia vallis inter Tadutti et Gibbam oppida, in qua magnam necropolim, muro cinctam, viis ornatam, principibus Massylorum gentis sepulturas dedisse monstrant magni aliquot tumuli. Quam, etsi adolevisset in immensum avitum regnum, tamen ut sacrum locum et majorum æternam sedem deserere non voluerunt magni reges Heraclides. Sed sibi suisque posteris præsenti gloriæ congruens voluerunt monumentum. Fuerit Micipsa an ipse Masinissa auctor operis, mihi quidem in ambiguo est, sed horum utique temporum esse illud omnia indicant quod nunc vocatur *Madrasen*. Constat ex cono quod cylindro mediocriter alto suprastat; modicus stylobates vel potius crepido subjacet, et cylindro inest crypta qua itur ad cellam in medio positam, ubi conditorium fuit. Moles autem tota est ex cæmentitio incerto, sed omnem superficiem orthostatæ ex quadrato lapide faciunt, pulcherrimi, perfectissimi, mirum in modum compacti. Pars conica per gradus, scalarum in modum, decrescit, sed trunca ex parte superiore est ne acuminatum fastigium surgat. Pars cylindrica pseudopteromate ornata est columnarum doricarum sine striis, cum epistylio et cymatio nudis. Hoc est mausoleum Masinissæ et posterorum. Diametrum totius operis CLXX ped. est, altitudo L. Quo fit ut ex longinquo speciem immensi tumuli præbeat. Neque aliud ac major tumulus est, arte auctus mu-

Recentiora nomina: Aïn-Ksar, Ksar-Kalaba.

nitus ornatus. Exstant enim in eadem necropoli alii sine orthostatis tumuli, quidam etiam sine calce, et cæmentis tantum ac fartura facti, quibus insunt cryptæ muratæ, quarum una in circulum per interiora molis volvitur. Unde apparet illos nihil nisi hoc idem sepulcrorum antiquissimum genus esse quod in *Madrasen* amplificatum videmus ad summam magnificentiam. Artificium autem in illo græcam, forsan et punicam, manum proderet. Sunt enim columnæ doricæ, sed antiquissimi generis; epistylium et cymatium, hoc quidem simplicissimum, cujus autem curva non græcæ sed ægyptiacæ simillima est. Exstant insuper sculpta in muro inter columnas multa varia animalia rudis et inelegantis laboris, quæ vernaculam manum procul dubio indicant. Ita ut mausoleum illud non omnino ad peregrinos archetypos, sed etiam secundum mores indolem usus et, si tantum tribuere Numidis Masinissa regnante licet, artem ipsius populi creatum esse videatur. Sane hujusmodi sepulcra Romanis quoque in usu fuerunt, nec deerant ad quorum exemplar Micipsa aut pater architectorum operam ducerent, quanquam neque Cæciliæ Metellæ, neque Planci, neque Augusti, neque Hadriani moles adhuc essent, quæ in eo genere primum posthac locum obtinuerunt. Sed opera Romanorum multo plus a forma tumuli absunt, quæ revera turres fuerunt quibus aut conica moles aut cepum in formam collis imponebatur, in tantum altitudinis creverat cylindrus ille mediocris, qui faciendus stabilitatis causa est quum ædificium pro terræ saxorumque congerie tumulus

fieri incipit. Adde quod sæpius vacua intus erant romana sepulcra, et plures locos cellas concamerationes conclaves una cum cryptis conditoriisque habebant. Sed Numidiæ mausoleum moles arte facta erat et severiore ornatu decora, in qua nihil aliud vacui quam ipsa sepultura erat, accurate abscondita. Hoc Juba et suo elegit archetypum monumento, quamvis eodem tempore jam moles Augusti Romæ conderetur.

Sed Juba, quanquam secutus aviti monumenti figuram, nonnulla et graviora mutavit. Primum multo majorem molem sibi ædificare volens, diametrum ei ped. ccx, altitudinem cx, dederat. Similiter autem ipsa moles cæmenticio, orthostatæ lapide quadrato, erant, plumbeis uncis saxa legantibus. Similiter quoque superior pars in conum truncatum surgebat, sed multo acutioris moduli, ut a forma congestæ in cumulum terræ multo magis abhorreret, et gradus ejusdemmodi cernuntur. Sed inferior cylindrica pars, quæ quadratæ crepidini imponitur, longe exornatior est. Pro doricis ionicæ columnæ, epistylium altius, cymatium sima reversa, basis attica, et pro stylobate supra crepidinem opus alias rarioris exempli, sima recta duplex inter scotiam et plinthum unam. Neque illud solum rarum aut singulare est. Nempe etiam in columnis, quibus volutæ atticæ sed exiles et breviores sunt, multa ne romana quidem facile deprehenduntur. Præcipue paria earum quæ quatuor pseudothyris adstant capitula habent aliorum dissimilia, quorum forma et ornatus non tam romana sunt ut Phœnicum quoque architecturam in memoriam non revocent.

Sunt pseudothyra quatuor lapidea, quatuor cœli partes spectantia, altissimi trapezii forma, hyperthyris ornatis, replo et singula singulis foribus impagine crucis in figuram stantibus. Sed ostium quo aditus erat non est, sicut in *Madrasen*, in parte inferiore coni, gradibus ad idipsum accommodatis celatum, verum infra crepidinem sub terra latet, ante pseudothyrum ad orientem spectans. Intus est spatiosa crypta, longa ped. CCCCL, quæ, postquam in circulum quasi absolutum duxit, ad mediam monumenti partem pergit, ubi cella præcipua est.

Quanquam, sicut in *Madrasen*, cryptam cellasque clauderent tympana lapidea magna quæ intra parietem convolvenda erant, tamen violata et prædæ data sepultura Jubæ Cleopatræque fuit, jam inde, ni fallor, a tempore quo hostili agmine Romani Mauretanias intraverunt. Post, iterum præcluso aditu, quum thesauros fama ibi reconditos ferret, sæpius ferro tentatum, prævalidum opus restitit : non ita tamen ut læsum et corruptum valde non esset, etiam tormentis admotis a quodam Turcarum principe ferreis globis petitum. Piget fateri Gallos quoque homines, interiora scrutandi causa, plus etiam damni attulisse, quorum opera plaga immensa hians latus monumenti deturpat : utinam quidem hoc unum exemplum in Algeria foret veterum monumentorum his artibus interrogatorum! Tamen, post tot injurias, majestatis et decoris plenum commune regiæ gentis sepulcrum apparet. Quod si simplex austera gravitas qua *Madrasen* decoratur in illo minus eminet, vincit

et magnitudine et, ut multis videtur, arte, quæ sane elegantior est. Utut est vincere fateor loci opportunitate. Stat enim in collium jugo quæ a Cæsarea ad Icosium maris littori supereminent, et e vastissimo tractu pelagi terræque cernitur. Ideo forsan multo inclytius apud veteres permansit quam sepulcrum regum Numidiæ. Nec gloria indignum est : nam prope unicum exstat artis in Mauretania opus quæ non omnino romana aut græca aut punica sit, sed, aliquid ex singulis hauriens et aliquid addens proprium, forsan per se stare potuisset. Juba enim acciverat ex alienis populis quidquid exemplum dare aut industriam suscitare poterat ; et forsan, aliquandiu imitationem illorum secuti, et ipsius terræ incolæ proprium aliquid creare valuissent. Quod vero, jam per se dubium, fata brevi interceperunt, Mauretania in ditionem populi romani redacta. Saltem Jubæ mausoleum etiam imitatione dignum post sæcula plura visum est ; et ævo labente, cadente imperio ipsaque Roma, Mauri reguli, in partibus Jubæ quod fuerat regni remotis, hujus ad exemplar plura neque turpia monumenta et ipsi fecerunt. Hæc, *Djedar* nunc appellata et a quibusdam jam visa, ipse ego et descripsi et tabulis expressi, et, quanquam in pyramidum (quæ forma minus doctis artificibus exstructu facilior est) figuram erecta sint, sine dubio ad exemplar Jubani esse cognovi (1).

(1) Legat, si quis de *Madrasen* absolutam notitiam quærit ea quæ in actis *Societatis archæologicæ Constantiniensis* edidit strenuus vir Brunon, 1873-74, p. 304-353, cum optimis tabulis ; de *Kbour-er-Roumiah*, Berbruggerus fusius scripsit, *Le Tombeau de la Chrétienne*, Icosii, 1868, cum

Fuit Juba omnium regum populo romano amicissimus, neque alius majores honores a senatu et principe accepit. Notum est populum romanum reges sibi amicos summo honore tenuisse; et Augustus, qui romanorum magistratuum dignitatem tanta reverentia prosequebatur, nihil minus tribuebat majestati vel regulorum, quam, ut aliquo modo in eos a populo romano collatam, propriam populi romani existimabat : ita ut nullum eorum unquam litteris accessiverit, semper autem legatos e senatorio ordine mitteret. Cuinam vero plus quam Jubæ, condiscipulo commilitoni et quasi necessario, tribuere poterat? Primum peregrinorum principibus hoc dabatur, reges a populo romano appellari, quod erat quodammodo regnum a populo romano accipere aut eo vindice tenere; fiebat autem subito quum rex solium conscendebat, et ipso facto societas erat. Socium tamen et amicum populi romani per legatos consalutare utebantur, si quis rex studio aut rebus gestis bene de populo romano meruerat, ut factum est, debellato Tacfarinate, in Ptolemæum, Jubæ filium; idque, quum maximum honorem tum ipsius regni præclaram confirmationem, a regibus super omnia ambitum fuisse novimus. Mox dona erant, sæpius regia insignia, sellam eburneam, sceptrum et togam purpuream, aut

tabulis, sed meliores (excepta una, p. 293) expressit diligentissimus Mac-Carthy cum accurata relatione, in *Magasin Pittoresque*, 1871, p. 291, 372, 399, et seq.; fuit quoque Bourmancé architectus qui monumenti restitutionem in Gallia exhibuit; de illis *Djedar*, ego in *Voyage d'étude*, cap. VI, et tab. IX-XII.

patriciorum magistratuumve, prætextam, curulem sellam, prætoria ornamenta atque etiam triumphalia, coronam, scipionem eburneum cui aquila insidebat, omnia denique quæ civibus et magistratibus mereri licebat. Etenim regiam dignitatem parem dignitati magistratuum imperium exercentium liberæ rei publicæ temporibus Romani existimaverant, ita ut in exercitu rex cum prætore aut consule pro tribunali sederet, neque eum sedenti adspectare liceret, et solus præter imperatorem purpuram indueret, Italiam appellentem quæstor, interdum et prætor, saltem senator exciperet ac Romam comitaretur, Herodesque, qui multo Juba minor fuit, inter Cæsarem et Antonium a quibus rex appellatus erat in Capitolium ascenderit (1).

Ea omnia Jubam filiumque post eum a s. p. q. r. habuisse auctores nummique docent. Cæso enim Tacfarinate, Ptolemæo, teste Tacito, est repetitus ex vetusto more honos, missusque e senatoribus qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque et socium atque amicum appellaret (2) : ea autem omnia Ptolemæus in nummis suis effingi curavit (3), adjectis quæ Tacitus omisit aurea corona et scamnum suppedaneum, et revera nil aliud sunt quam prætorum triumphantium ornamenta. Juba autem in nummis suis insignia quoque

(1) Bohn, *De conditione regum*, c. III.
(2) Tac., *Ann.*, IV, 26.
(3) Müll., III, num. 185-195.

ejusdem generis posuit a s. p. q. r. accepta. Sed de his disputatio orta est, quum Muellerus sellam curulem (1), Cavedonius δίφρον ἐλεφάντινον, dixerint, et hic aut regia omnia, aut militaria dona, aut minorum magistratuum ornamenta esse contenderit (2). Mihi autem triumphalia esse, ex his quæ ipse Muellerus animadvertit, videntur, neque tamen omnino aberrasse Cavedonium, quum triumphalia ornamenta eadem ac regum essent, immo ea ipsa quæ Jovi concedebantur : hæc autem utique sunt quæ in Jubæ nummis cernuntur (3). Etiam qua occasione ea habuerit, anni nummis adnotati cum historia bellorum ejus concordantes denuntiant, ut sagaciter intellegit Muellerus. Bella omnia gessit auxiliatus populo romano. Gætulis victis, Cornelio Cosso cognomen Gætulici fuit, Jubæ et Cosso ornamenta triumphi, quæ eo utique anno in nummis ejus comparent, ann. D. 6, atque simul Victoria supra elephantis caput stans (4). Ann. autem

(1) Müll., III, num. 70.

(2) Vid. Müll., *Suppl.*, p. 77.

(3) Borghesius, *Op. epigr.*, t. III, p. 26, ornamenta triumphalia numerat, lauream coronam ex auro, sceptrum eburneum cui aquila insidet, et togam auro pictam, Eckhelio assentiens (*D. N.*, V, p. 118). Tria autem sceptrorum genera quæ apud Romanos invenimus, divinum scilicet aut potius antiquissimum, quod nihil aliud est ac scipio cui extremitati additur quidam in formam crucis ornatus, dein regium, quod brevius erat et globum pro fastigio habuit, denique imperatorium, cui aquila insidebat, sæpissime unum pro altero in monumentis stare complures nummi gemmæque demonstrant. Quorum ultimum, fuisse olim proprium triumphantium quum vulgo dicatur, minime tamen mirarer negatum regibus, etiam aliquo modo triumphalia accipientibus, quod nunc Augustorum neque ullius ultra mortalium esset.

(4) Müll., III, num. 70, 65, 67.

D. 17, Tacfarinate et Mazippa victis, Furius Camillus triumphum habuit, et Jubanis nummis illata est Victoria priori similis nisi quod elephantis caput proboscide coronam sustinet (1). Denique ann. D. 20, fuso iterum Tacfarinate, L. Apronius triumphat, apparentque in Jubæ nummis a. r. xxxxvi signatis alia Victoriæ effigies et elephas turritus proboscide coronam gerens (2). Ex quibus victoriatis nummis credendum videtur regem jam triumphalem coronis et donis re bene gesta donatum; et aliquando etiam in nummis non jam diademate, ut erat in primis regni annis, sed laurea coronatus inde a priorum honorum tempore effingitur (3).

Sed Juba ab Augusto honoratus eum quoque vicissim cultu prosequebatur. Testes sunt complures nummi ad Augustum spectantes. Alii Cæsareæ conditæ et in ejus honorem nominatæ memoriam servant, alii eum in Mauretania ut in plerisque provinciis vivum et mortuum divinos honores habuisse memorant, Lucum et Templum Augusti ferentes. Alios ad ejus ἀποθέωσιν pertinere judicaverunt ex aquila quæ volans fulmen sceptrum coronamque portat; pluresque inveniuntur cum Augusti horoscopio, quod est Caper cum cornucopia sphæra et gubernaculo.

Principi adeo amicus et splendide admodum regnans, nulla tamen Juba habuit ultra regum maxima

(1) Müll., III, num. 69.
(2) *Id.*, num. 76, 78.
(3) *Id.*, num. 50 et 72, 56 et 55, 57 et 71, 58-64, 81-82.

jura. Regibus enim fœdere certo potestas definiebatur, quæ, ceterum absoluta, in his maxime limitata erat quod amicos hostesque populi romani sibi hostes amicosque habere, fœdus nullum nisi senatu assentiente icere, denique aureos nummos, interdum ne argenteos quidem, nequaquam cudere poterant (1). Regibus autem Mauretaniæ privilegium de hac ultima re fuisse credet forsan aliquis, quum Cæsareæ aureus Ptolemæi nummus inventus sit. Sed mihi, quum nummum princeps ederem (2), placuit contraria opinio. Non enim Jubæ, sed Ptolemæi unicum hoc specimen est, et anni XVII regni notam habet, qui reipsa ultimus fuit, nam in XVIII Romam vocatus rex interiit. Suspicari posse mihi visus sum Ptolemæum sine jure aureos nummos tunc feriisse, paucos sane, nam, dum valde numerosi alii ejus occurrunt, unus hic adhuc innotuit; fuitque forsan id inter crimina quibus motus Caligula eum per juventutem et fastum multa imprudenter, incuriose, superbe, plura per libertos, agentem oppressit (3). Quod nisi credendum videtur, tunc hoc aliud proponam : Gaium scilicet, ut erat in omni re ad immodica pronus, tantum illud privilegium consobrino (nempe ambo Antonii, alter nepos alter pronepos, uterque ex filia, erant) dum eum in gratia haberet tribuisse. Sed utut est, neque ad annos Ptolemæi nisi ultimos, neque omnino ad ætatem Jubæ

(1) Bohn, *De cond. reg.*, c. V.
(2) *Bull. corr. afr.*, I, fasc. 5.
(3) Tac., *Ann.*, IV, 23.

jus aurum flandi feriundi pertinuisse putandum est.

Ceterum Juba quietus plurimum regni sui consumpsit, dum, ut dicta repetam satis arguta Boissierii, mansuetariorum ritu per pacem et artes bonas Mauros ac Gætulos quasi feras indomitas emollit (1). Divitiarum augendarum causa, omnia quondam Tyriis Pœnisque navigata maria explorari iterum voluit, ut novæ negotiantibus viæ regionesque paterent. Insulas Purpurarias et Fortunatas in Atlantico sitas classes ejus adierunt, et nomen prioribus datum est ex purpurariorum et tinctorum officinis, quas ibi ille condidit (2). Item regiones Mauretaniæ vicinas cognoscere studuit, neque, quantum quidem novimus, nimis male res ei cessit, nam Suetonii Paullini ultra Atlantem iter, annis post ejus mortem XXI, dicta ejus confirmasse videtur (3). Non ita vero de partibus Libyæ interioribus, de quibus quasi omnia perperam, partim punicis confisus libris, partim mercatorum militumve deceptus nugis, partim recte dicta male intelligens, tradidit (4).

Neque vero regnum ultra dimidii sæculi spatium protulit quin et sua bella haberet. Quorum duo in ipsa Mauretania, magna sane et periculosa, infra memorabimus. Sed ex fragmentis operum ejus alias expeditiones quibus et interdum præfuit fuisse colligitur,

(1) Boissière, *Esquisse* etc., p. 194.
(2) C. Müll., *Fragm. hist. Gr.*, Jub., fragm. 28.
(3) *Ibid.*, fragm. 26.
(4) *Ibid.*, fragm. 29.
Recentiora nomina : Madère, îles Canaries.

ut natura fieri debuit apud mobiles et feros populos præsentis imperii semper impatientes (1). Sed etiam extra regnum, imo in longinquis terris, militavisse videtur. Opus enim quod de Arabia et regionibus circumstantibus ad C. Cæsarem Aug. f. scripsit, non nisi ab homine qui terras ipsas viderat conditum fuisse visum est, nec C. Muellero judicum optimo sententia displicuit (2). Quo tempore autem Arabiam vel vicinia ejus visitare potuerit, non liquet (quum ann. a. C. 24 in prima expeditione ab Augusto missa fuisse vix credi potest), nisi aut quum adolescens in Ægypto post Actiacam pugnam una cum Octaviano fuit, quod quoque minime placet, aut serius cum C. Cæsare in Orientem ab Augusto misso. Conjecit enim C. Muellerus eum cum C. Cæsare ad id bellum profectum, et, dum ille in Armenia (quam prius Dionysius Characenus ad idipsum exploraverat) rem bellicam per tres annos usque ad ann. D. 3 optime gereret, in Syria commoratum, omnia quæ de Arabia aut tradiderant veteres aut ipse per incursiones sive per exploratorum gentiumve testimonia colligere potuerat, libro composuisse, venturæ expeditioni profuturo (3). Certe Augustum novimus C. Cæsarem, teste Plinio, misisse ad res Parthicas Arabicasque; adest liber scriptus ad Gaium ardentem, teste eodem, fama Arabiæ (4); et scimus, Josepho narrante, Jubæ nup-

(1) Müll., fragm. 36.
(2) *Id.*, p. 468.
(3) C. Müll., *Fragm. hist. Gr.*, III, p. 468, 466.
(4) *Id.*, *Jub.*, fragm. 44, 51.

sisse Glaphyram, Archelai Cappadocis filiam, Alexandri Judæi viduam, quod matrimonium valde improbabile videtur si Juba e regno suo nunquam exiit (1). Conjectura ergo Muelleri tantum verosimilis est, ut pro vero qui eam accipiet, hunc errare minime credam.

Sed redux ab interruptis per Gaii vulnus ac mortem in Oriente rebus Juba domi bellum habuit. Gætuli enim ab eo desciverant, et mirum in modum creverat seditio. Regii exercitus ac duces, coercendis rebellantibus impares, ne Mauretaniam quidem tutari satis potuerunt, et, victis una cum eis ex Africa missis auxiliis, omnia conturbata sunt : donec Augustus Cn. Cornelium Lentulum Cossum cum valido robore misit, bellumque demum confectum Cosso Gætulici nomen, Jubæ pacem, utrique dona triomphalia ann. D. 6 peperit (2).

Potenti ac magno regno et ipsi Africæ provinciæ periculum, romanisque legionibus hostes, Gætuliam tulisse mirabitur qui loca ubi illa fuit aut vidit aut legendo quales sint didicit. Est enim, ut supra dixi, multa ex parte vacua cultorum terra et quæ ad solitudinem creata interdum prorsus videtur, neque Melæ facile creditur, quo auctore Gætuli natio frequens et multiplex erant (3). De Gætuliæ geographia plenissime disseruerunt plures, quos anteit vir clarus Vivien

(1) Vid. ad cap. V.
(2) Dio Cass., LV, 28 ; Flor., II, 12, 40 ; Vell. Pat., II, 16.
(3) Mel., I, 4.

de Saint-Martin (1) ; statum autem regionis vetustis temporibus quis fuerit nullus per eam universam satis diligenter quæsivit, sed bona multa passim complures enuntiaverunt : strenuus vir W. Ragot de parte orientali, ipse ego de septentrionali, Weissberger de meridionali, plurimi de hac aut illa de visu locuti sumus (2). At nobis omnibus constitit Melam recte locutum fuisse, et testimonia in ipso solo veteris frequentiæ et florentis profecto status numerosa remanere. Gætuli autem, quorum sibi vindicabant reges Mauri et Numidæ singuli singulas partes supra ipsorum regna considentes, neutris tantum bene paruerant ; et Augustus, qui Africam Aurasium tenus constituerat, quasi omnes eas gentes Jubæ permiserat, quarum pars Numidiæ subdita contra patrem ejus tempore D. Julii bellum acriter moverat. Juba hanc auctoritatem, nomine potius quam re apud omnes ante eum reges, dum graviorem invisamque reddit, Gætulos omnes contra se suscitat, ne imperio Romanorum et ipsi subdentur metuentes. Inde sævum illud bellum cui impar comparuit.

Partem mediam et quasi arcem Gætuliæ faciebant longi illi montani tractus ab Aurasio, qui terminus Numidiæ meridionalis est, ad Atlantem majorem, cujus mole et innumeris ramis Tingitana omnis con-

(1) *Le Nord de l'Afrique dans l'antiquité*, p. 157, 425, 441, 450, et seq.

(2) *Soc. de Constantine*, 1873-74, p. 91-300 ; *Voyage d'étude*, c. IV ; *Rev. archéologique*, 1881, juillet. Vide etiam, sed ad posteriora tempora pertinent, quæ retulit H. Tarry, in *Comptes Rendus Acad. I. et B.-L.*, 1882, p. 86.

sistit. Eam septentrionem versus Sahara minor, altæ planities de quibus jam sum locutus, a Cæsariensi dividunt, et versus meridiem jacent oases Saharæ majoris, ubi, ut ait Sallustius, gens atra incipiebat; post autem loca exusta solis ardoribus. Utramque vero regionum quarum in medio montes surgunt, Gætuli partim occupaverant, hinc pastorum illinc colonorum, secundum indolem terræ, vitam sibi eligentes. Quo fit ut, a regno Jubæ solitudinibus et gente vaga per longa spatia divisus, magnus ac frequens populus regione ad meridiem bona a flumine Gir ad salsas paludes tutissimo frueretur, et ab Apollodoro Tarsensi, Jubæ ipsius coætaneo, ἔθνος μέγιστον Λιβυκόν dictum sit (1). Erat autem illa regio quidquid nunc *Ziban* et *Hodna* dicitur (eæ solæ partes unquam Romanorum fuerunt) et immensum *Beled-ul-Djerid* (id est palmarum patria) ubi, etsi multo quam tunc fuit rarior, assidua tamen et industriosa gens est : cujus pars melior fortior et veteribus similior est *Mozabitarum* quadruplex populus. Is autem mediam partem Jubanæ Gætuliæ obtinet, et inter quatuor civitates ex quibus maxime constat tenet Giram, olim metropolim a Ptolemæo geographo dictam, cui nomen est *Ghe-rara*. In variis Gætuliæ partibus Bescera, Badiath, Tucrumuda, Thabudei, Geva, Thycimath, Byntha, Tucaba, Anygath, quæ nomina ab auctoribus aut a titulis

(1) Apollod. Tars., *Fragm.*, 4. Müll., *Fragm. hist. Græc.*, t. II, p. 488. *Recentiora nomina :* Biskra, Bâdes, Touggourt, Tanebet, Laghouat, Tadjemout, Binda, Tecabit, Taneghent.

romanis data in hodiernis agnoscimus, conspicuarum tunc urbium erant. Sed multarum antiquum nomen nobis a nemine traditur, et innumeri ruderibus etiamnunc insignes loci antiquum statum demonstrant. Nulla autem pars majorem eorum multitudinem ostendit quam ea quæ super provincias Algeriensem et Oranensem est, cui Gira, Geva, Thycimath et aliæ plures metropolis erant, et cujus populi Jubam regem sustinuerunt, ac, nisi per populum romanum, superabant.

Reliquum vitæ regnique tempus in pace Juba transigebat, ni fuisset extremis annis bellum cum Tacfarinate. Quod quidem, a Tacito satis plene nobis expositum, gentium ad meridiem sitarum indolem necessitudines et aliquatenus historiam indicat. Duæ enim super Africanas provincias Africanaque regna validissimæ gentes erant, ab eis interposita solitudine divisæ, quæ sæpius imperio bellum, semper rebellantibus aut prædonibus auxilium, alacriter inferebant. De Gætulia dixi, Mauretaniis imminente. Est autem, super Syrtarum regiones, medio Saharæ inclusus, oasium magnarum numerus cui Phazaniæ nomen est. Hic, quanquam inde a temporibus illis mirum in modum opibus et hominibus decrevit, tamen quidquid commercii per Saharam cum interiore Libya efficitur ad se trahit : unde etiam pessimo Tripolitani littoris tractui aliquid pretii est, qui, nisi Phazania foret, urbes suas ne aleret quidem. Phazaniam autem tenebant Garamantes, frequens natio, Gætulis etiam potentior, cujus urbium et rudera et nomina perman-

serunt : Garama enim metropolis et Cillaba et Telgæ, Debris, Tabidium, Thapsagum, Boïn, Maxala, Zizama, Sabæ, Bedirum, Hammanentiumque et Dannagorum gentes, omnia, nulla re præter priscam celebritatem locorum mutata, adhuc etiam inveniuntur (1). A Phazania in Gæetuliam trans solitudines supra Numidiam sitas intercursus fiebat per Cydamum Tucrumudamque, quarum prior præpollens fuit. Sed Romanis cum Gætulia Phazaniaque eadem prorsus res fuit. Primus enim Cornelius Balbus ann. a. C. 19 Phazaniam omnem victor peragraverat, et de ea triumphavit. Similiter Suetonius Paullinus, ann. D. 40, ubi primum provinciæ Mauretaniæ factæ sunt, et Gætulos vicit et ultra Gætuliæ ipsius fines trans flumen Gir ad meridiem ivit. Sed ab utraque parte insignia bella parum profuere, et Phazania Gætuliaque nunquam romanæ Libyæ periculo esse desierunt, nisi postquam, Antoninorum Severorumque temporibus, ipsæ occupatæ fuerunt : Cydamo enim, quam qui tenet Saharæ quasi dominatur, præsidio munita, hinc Phazaniam, ubi et tituli apud Boïn Tabidiumque (2) et rudera ubique romanam manum demonstrant, illinc Gætuliæ partes Numidiæ provinciæ vicinas, quæ fertilissimæ planities sunt et urbibus colonisque brevi

(1) Vivien de Saint-Martin, *Le Nord de l'Afrique*, p. 111-122.

(2) *C. I. L.*, VIII, 6, 34.

Recentiora nomina : Le Fezzan, Djerma, Mourzoukh quæ et Zeilah, Ouadi-Talha, Edéri ?, Tabonyé, Tassava, Bondjem, Mechaal, Ouadi-Zemzem, Sebha, Bedir, gentes ex Hammâda regione, Denhadja, Ghadames.

tempore abundarunt, imperium sibi adjecit. Montanæ autem Gætuliæ, quæ colonis occupata non fuit, pars orientalis milites accepit (1), reliquam exercitibus sæpius visitatam testantur nuper reperti tituli ad *Oued-Qsob* in *Djebel-Amour* et apud *Ouled-Sidi-Cheikh* in ipso *Géryville* oppido (2). Sed Gætulia Phazaniaque adhuc liberæ, potentes et ad omnia contra imperium paratæ tempore Jubæ regnantis erant.

Tacfarinas Numida (3), qui primum in auxiliis meruerat, desertor mox prædonum dux, magnam manum sibi per deserta loca Tritonidi paludi vicina comparaverat. Erat autem illis temporibus præpollens Musulamiorum populus, qui hinc Gætuliam et solitudines illinc Mauretaniam tangebat, sed ferus adhuc ne urbes quidem exstruens, vetusto barbarorum more, perinde ac si non fuissent Masinissa, Micipsa, Romani, vivevat. His se Tacfarinas ducem si rebellare velint obtulit, prædones militum ritu ad omnia institutos adducturus. Rebellantibus auxilium Maurorum vicinorum regulus Mazippa quidam attulit. Cinithios qui Tripolitanæ partem Phazaniæ adjacentem incolunt socios sibi adigunt, et provincia Jubæque regnum maximo in periculo versantur, ann. D. 17. Victo tamen Furii Camilli audacia Tacfarinate, per aliquod tempus quies fuit, Mauri Musulamiique pacati. Nihilominus Tacfarinas, in interiora Libyæ

(1) *C. I. L.*, VIII, 8779-8804.
(2) *Bull. ant. Afr.*, t. I, p. 26; *C. I. L.*, VIII, 9739.
(3) Tac., *Ann.*, II, 52; III, 20, 21, 73, 74; IV, 23, 24-26.
Recentiora nomina : Chott-Melghir.

profectus, vagos homines, prædones et omnigenam gentem colligebat, rursusque provinciam adortus cohortem unam occiso præfecto profligat, sed a L. Apronio pellitur : cujus tamen iterati belli expers Mauretania fuit, ann. D. 18-20. Quamdiu enim Juba vixit, in pace Mauri manserunt, neque ad illos pertinent res a Blæso pulcherrime gestæ ann. D. 20-22. Tacfarinas autem, ab eo omnino devictus pulsusque in deserta et fratre etiam amisso, nova bella molibatur. Rex enim Garamantum, qui receptare ingentem ab eo prædam consueverat, societate facta ei magnum copiarum levium numerum dederat. Occasionem præbuit mors Jubæ, Ptolemæo filio minus feliciter per libertorum superbiam, quibus incuriosius omnia permisit, regnum ineunte. Igitur Numida, postquam Thubursicum frustra aggressus est (Musulamios rebellaturos confisus, sed eos Dolabella pro consule terrore antea coercuit), provincia raptim prædando egressus, in Mauretaniam quæ post Sitifensis fuit et Cæsariensis partem attiguam bellum inferre constituit, et castellum Auziam obsidet. Vicina enim populum asperum et adversus omnia imperia contumacem *Kabylia major* semper nutrivit. Sed vincendi Tacfarinatis modum præclare monstraverat Blæsus, omnes fugiendi vias per valida legionariorum præsidia occupans, reliquum autem exercitum in plures expeditas manus additis indigenis dividens, quæ, ab hominibus locorum gnaris ductæ, non quiescere sinerent

Recentiora nomina : Khamissa, Aumale.

semper victum nunquam debellatum hostem. Igitur Dolabella, peritus simul et audax, uno ictu bellum conficere occasionem nactus instituit. Ptolemæum regem Maurorumque auxilia ad se vocaverat, quæ jam in numeros prædatoriis exploratoriisque incursibus idoneos, præfectis ex ipsa gente ducibus delectis, composuerat. Ipse romanum militem in quatuor agmina legatis aut tribunis data ad hostem, Mauris præmissis, admovet; et, apud ipsam Auziam noctu Tacfarinatem adortus, ipsum cædit, stragem rebellium facit, moxque, Garamantum rege pacem orare coacto, quies regioni redditur. Ptolemæo quæ supra retuli honoraria dona delata, rexque una atque socius et amicus populi romani eo anno est appellatus.

Jubam durante adhuc Tacfarinatensi tumultu mortuum esse intelligitur, quo utique anno nullus auctor dixit. Sed qui ejus historiam principes apud nos scripserunt, Baylius et Sevinus, et post eos Wensdorffius, eum ann. D. 23 decessisse arbitrati sunt; post multæ diversæque sententiæ per doctorum hominum lucubrationes natæ sunt, quas summatim omnes retulit Muellerus (1). Jubanam autem chronographiam quodammodo certam faciunt nummi supra memorati qui victoriarum indicium præbent annorum regni nota adjecta : quorum ultimus ad a. r. $\overline{\text{XXXXVI}}$ pertinet, quo utique victoria fuit de Mazippa et Tacfarinate, si Juba, ut alias diximus, ann. a. C. 25 rex Mauretaniis datus est. Nullus autem ex

(1) *Num.*, III, p. 114.

tot nummis qui ejus regis noti sunt annum XXXXVIII posteriorem præbet, quod præclare cum auctoribus concordat. Strabo enim, in libro V, scripto circa ann. D. 18-19 de Juba ut vivo mentionem facit, in XVII autem scripto ante ann. D. 24 eum νεωστί defunctum dicit (1). Tacitus ann. D. 23 diserte eum regnare ait, ann. autem 24 Ptolemæum filium jam solio potitum, nondum tamen a populo romano regem salutatum, ostendit (2). Interfectus autem ab Imp. Gaio periit Ptolemæus ann. D. 40 (3), neque ejus nummus ullus ann. r. XVIII posterior inventus est (4). Mihi igitur, omnibus tam probe consonantibus, Muellero Sevini opinio merito placuisse videtur, neque dubitandum Jubam ann. D. 23 obiisse, Ptolemæoque eum ipsum annum I regni exstitisse.

Juba igitur per LII aut LIII annos rex fuit, quorum XXXXVIII in Mauretaniis; annorum autem non minus LXXIIII, forsan plurium, vitam habuit.

(1) Strab., V, p. 288 ; XVII, p. 828.
(2) Tac., *Ann.*, IV, 5, 23.
(3) Suet., *Calig.*, 34.
(4) Müll., III, p. 115.

V

JUBA CIVIS ROMANUS ; EJUS UXORES LIBERI NOMEN HONORES ; DEUS POST MORTEM HABETUR.

In supra laudato libro *De Conditione regum* adnotat Bohnius multam esse probabilitatem cur Juba et Ptolemæus cives romani fuerint, præsertim quum ille Gadibus IIvir, Carthagine Nova IIvir q. q., utriusque coloniæ civium romanorum patronus inveniatur (1). Neve obstet quod neuter in nummis aut titulis suis nomine romano appellatur, nam romana civitate non auctam sed imminutam regiam dignitatem contendit esse Bohnius. Utut est, dubitandi quodammodo locum faciebat, quum nusquam repertum nomen, tum quod Juba coloniis in regno suo positis præfectus non esset, quamquam in eo fiduciam qualem in servo aut cognato quodam ponere posset Augustus. Certe disertum desiderabatur indi-

(1) Vid. Wensdorff, ap. *Lemaire*, *Poet. Min.*, vol. V, p. 502. Ptolemæus quoque, patre vivo, Carthagini Novæ IIviratum q. q. habuit. Müll., III, num. 204-207.

cium. Quum enim plures libertorum Jubæ Ptolemæive tituli innotuissent, nullus gentilicio et prænomine inscriptus prodierat, ut exspectandum fuerat patronis civibus romanis. Erant autem hi tituli, Cæsareæ reperti :

LAETVS · ACCEPTI · REGIS · IVBAE · L · F · (1)
INIQVITATE · FATORVM · RAPTVS · ANNO · I · DIES
VIII · H · S · E · PRAETERIES · TVVM · EST · DICERE
OSSA · TIBI · BENE · ADQVIESCANT

* * *

c · *iulius* (2)
REGIS · *iu*BAE · L · CAELAET*o*
HIC · SITVS · EST

* * *

A · AVNIGAE (3
regis · IVBAE · L · FIL
*an*NORVM · XIIII
hic · *s*ITA · EST · S · T · T · L

* * *

PHILOCALVS · PYLADIS (4)
REGIS · PTOLEEMAEI · L · L (*sic*)
VIXI · ANN · V · MINVS · DIEB VS
XV · H · S · EST ·

In nullo gentilicium est, aut, si fuit, fractum eva-

(1) *C. I. L.*, VIII, 9350.
(2) *Ibid.*, 9,349.
(3) *Ibid.*, 9348.
(4) *C. I. L.*, VIII, 9351.

nuerat. Tamen ann. D. 1850 ex hypogæo quodam Cæsariensi prodierant tituli sequentes (1) :

AESCHINVS · IVbAE
REGIS · L · ANT///VS
IC SIT IST STT L

*
* *

TI · CLAVDIVS · ZENATI
CLAVDII CHRESIMI
FRATER H S E

*
* *

C · IVLIVS ·
FAVSTVS · AES
CHINIS · FRA
TER
H · S · E ·

*
* *

IVLIA · FAV
STILLA · HEL
ENAES · LIB ·
H · S · E

Quod quidem hypogæum libertorum domus regiæ fuisse videbatur. Est enim Æschinus Jubæ regis lib. frater C. Julii Fausti, unde credendum est et hunc ejusdem patroni libertum et illi idem gentilicium et prænomen fuisse. Neque minus Faustilla Helenes lib., quæ Juliæ nomen habet, idem et patronæ suæ

(1) *C. I. L.*, VIII, 9344-9347.

arguit, quæ et ipsa ejusdem patroni atque alii omnes liberta fuisse credetur. Vix enim impediet ille Ti. Claudius, Claudii Chresimi frater, qui aut maritus aut filius regiæ alicujus libertæ esse omnino potuit. Etsi vero reges Jubam Ptolemæumque cives romanos fuisse constaret, tamen utrum ab Augusto an a Tiberio civitatem accepissent et C. C. aut Ti. Ti. Julii fuissent aliquatenus ambiguum maneret, nisi recenter reperta dubium omne solverent. Novissime enim prodierunt in *Bulletin de correspondance africaine* quinque Cæsarienses tituli quos refere necesse est :

IVLIA · FASTILLA (1)
IVBA · L · HIC
SITAS · ANNORV
FVIT · XXII

*
* *

IVLIA · CLITA · EPAPRA (2)
LI · REGIS · IVBA · LIBERTE
VIXIT · ANOS · L · DINAM
IS · MATER · EIVS PO SVA
IMPESA

*
* *

D · M (3)
C · IVLIO · RE
LATO · V · A

(1) *Bull. corr. Afr.*, 1882, num 19.

(2) *Ibid.*, num. 20 ; *Bull. ép. de la Gaule*, 1882, p. 278, num. 6, legens *Epaprali*, perperam.

(3) *Ibid.*, num. 21 ; *Bull. ép. de la Gaule*, 1882, p. 142, num. 3.

VNO · M · VIIII
IVLIVS · EVZE
LVS · F · F

* * *

D · M (1)
C · IVL · DECEM
BIR · VIX AN
*l*XVIII IVL EV
*ty*CHA PAT F

* * *

D · M (2)
IVLIA · P//////
VIX · ANN////
DIES · VII · FEL
S · T · *t* · *l* ·

Quorum duo primi Julium Jubæ nomen fuisse manifeste testantur, posteriores autem duo, cum *C. I. L.* VIII, 9346 comparati, certissimum Gaii prænomen faciunt, ultimus unius libertarum regis ejusdem erit, quarum alteram indicat hic quoque in *Bulletin épigraphique de la Gaule* nuperrime editus (3) :

(1) *Bull. corr. Afr.* 1882, num. 22, legens *decemvir*, perperam.

(2) *Ibid.*, num. 28.

(3) 1883, p. 277, num. 6. Scribenti mihi afferuntur alii duo Cæsarienses tituli ad regiam familiam spectantes, quos adhuc ineditos hic dare juvabit, ex ectypo ab optimo viro R. de Chancel et apographo a docto homine J. Schmidt missis :

/////*regis* · *i*VBAE · L
////////////*si*NCERVS · AB · OMNI
//////////////IACET IN TVMVLO

IVLIA · PHIALE
IVBAE · L
VIXIT · AN · XXX
H · S · EST

Nullatenus ergo dubium est quin Juba civis romanus C. Julii nomine fuerit. Quo autem tempore civitatem acceperit nescitur, an una cum Cleopatra regnoque, an (quod magis mihi quidem placeret) in Cæsaris domo, quum ad eam ætatem venit qua civium romanorum filii virilem togam sumebant.

Cleopatræ quæ conditio fuerit nunc nobis est exquirendum.

Notissimum est Augustum, bello finito Antylloque Fulviæ filio Alexandriæ necato, Antonii superstites liberos secum benignissime tenuisse, ita ut quodammodo inter necessarios haberet. Quorum alii cives alii peregrini erant, hi quidem nec legitimi nec qui tales fieri possent, quippe et adulterini et ex hoste suscepti. Illos Augustus quasi filiorum filiarumque loco tenuit, per quoddam genus imperfectæ nec alterius exempli adoptationis, ita ut M. Antonius Juli

////lVMINA TEXSIT
//////////////NE · DOLET
///////////////A · FVNVS TV

***

IVLIA PIERIS
REGIS · PTOLEMAEI · L
M · CASINEIO
SERPVLLO · C
VM

prænomen acciperet, et primum post ex Livia privignos locum obtineret, haberetque Marcellam Octaviæ filiam uxorem, et consulatum ann. D. 10; Antoniæ autem ex Octavia natæ nuberent, major L. Domitio Ahenobarbo cujus ex ipsa filius ex Agrippina Neronem genuit, minor Druso Tiberii fratri. Hos autem fuisse notum est ex Cleopatra Ægypti regina genitos Ptolemæum gemellosque Alexandrum Helion Cleopatramque Selenen, quibus quodammodo jungerem Antoniæ ex Antonia natæ, tunc mortuæ, liberos. Quæ quidem, primum Lepidi IIIviri filio desponsa, aliquid peregrinæ conditionis induerat nubendo Pythodoro Asiarchæ, qui, etsi civis romanus procul dubio fuisse credendus est (ut qui, Pompeii Antoniique amicus, inter Asiaticos regium quasi locum tenebat) (1), tamen genere, patria, necessitudinibus, in dynastarum principumque earum gentium potius quam in civium romanorum numero habebatur. Hanc quoque Antonianæ sobolis partem Augustus, dum romanam in re publica splendidissimo loco exaltat, summis peregrinorum honoribus ut peregrinam ornavit. De maribus quid factum sit plane nullus auctor tradidit, nisi in Augusti domo ab Octavia quasi a matre educatos ut Juba olim ab Atia in domo Cæsaris fuerat; sed regium nomen ab Antonio datum etiam sine regno tenuisse crederem, primum quod apud Augustum plurimum Antonii sanguis valebat, dein quia nullum rei publicæ erat

(1) Strab., XIV, p. 649.

periculum, denique quia filiæ eodem fuerunt ornatæ. Antoniæ enim defunctæ filia Pythodoris regina appellata est et Polemoni potentissimo regi uxor data, qui Ponti Ciliciæ Armeniæ minoris et Bospori regna habuit, neque tantum uxor regis sed regina ipsa erat, ita ut cum eo et simul et priore loco, et eo defuncto una cum filio, mox post ipsum cum nepote, semper priore lóco regnaret, et ex ea magis quam ex illis posterorum nobilitatem defluxisse manifestent tituli, dum M. M. Antoniorum Polemonum etiam regnis amissis ditissima et honoratissima domus per sæcula durat (1). Cujus ad exemplum credo de Cleopatra factum fuisse, etsi adulterina et ex hoste publica nata, quum Jubæ eam despondit Augustus.

Nata erat Cleopatra, ut comprobavit Mommsenus, ann. a. C. 34, neque Jubæ despondi potuit post ann. a. C. 19, quum exstant hujus utique anni nummi regni Mauretaniæ ejus effigie insignes, potuit autem multo prius, neque obstat quod nummi desint, conclamantibus cunctis auctoribus Jubam ea et regno simul donatum fuisse (2). Ann. a. C. 19, Cleopatra XV annum agebat, quæ si Juba Numidiæ regnum ann. fere 30 accepit tunc plus IV aut V annorum esse non potuerat. Putandum ergo videtur eam tunc illi circa XXII annos nato desponsam, posteaquæ celebratarum consummatarumque quum per ætatem licuerit nuptiarum nummos indicium dare, quod quidem

(1) Momms., *Éph. epigr.*, 1873, p. 271-279.
(2) *Ibid.*, p. 276-277. Müll., III, p. 118 et 120-122.

initium regni revera, non solum nomine ut antea, suscepti foret. Ista autem Cleopatræ in Mauretaniæ nummis præsentia etiam disputationem movit.

Etenim dum frequenter imperatorum uxores matres filias in nummis populi romani invenimus, haud ita res se habet regibus populi romani sociis. Uxores scilicet eorum nunquam in nummis reperiuntur, duabus tantum exceptis Tryphæna Polemonis et Gepæpyride Mithridatis, quorum alter Ponti alter Bospori rex fuit. Tryphæna, cujus rarissimi nummi sunt, nunquam nisi cum marito effingitur, Mommsenusque privilegium quoddam ad idipsum a rege ex Pythodoride Antonii pronepote impetratum esse hariolatur. Licebat imperatoribus uti vellent cudere nummos, non ita vero regibus, quibus fœdere ipso quod quasi formula regni erat jura omnia definiebantur, neque aurum flare ferire cuiquam nisi ipsi Principi concessum unquam fuit. Porro regum uxores, regiæ potestatis expertes, cudere nummos non poterant, et reges, non absolutam ut imperatores Ptolemæive antiqui habentes auctoritatem, eas in partem regni aut nummorum consortium proprio arbitrio vocare nequibant. His præmissis rationibus Mommsenus Tryphænæ et Gepæpyridi privilegium quoddam fuisse contendit. Quantum ad Gepæpyrin pertinent, mihi quidem inutile privilegium fuisse videtur : reges enim Bosporani absoluto, soli ex tot regibus sociis, cudendi nummos jure fruebantur, ut testantur aurei eorum frequentes. Quod etiam regum Mauretaniæ fuisse facile crederes, aureo Ptolemæi Jubæ filii nuper ut supra dixi reperto, nisi cusus

aut sine jure aut post jus ipsi Ptolemæo a Caligula in extremis regni ejus temporibus concessum suspicandus foret. Juba autem, quantum novimus, absolutum feriendi arbitrium non habebat, atque ita ei quoque privilegium concessum fuisse conjiciendum esset ex quo Cleopatra viripotens fuit. Quod quidem, per se haud absurdum neque a verosimili abhorrens, Muellero magis placeret (1) : quinetiam inutile potius privilegium fuisse credit, nec tam arcta definitione regibus jura constituta (2).

Succurrit autem illud gravissimum quod Cleopatra nummis non solum una cum marito infertur, sed etiam interdum sola (3) cum diademate et nomine regio ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ · ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. Eodem quoque ornatu insignis in nummis communibus (4) cernitur, græca cum inscriptione, dum Juba semper (duobus exemplis tantummodo exceptis (5) latinam habet. Signa in nummis diversa : Cleopatræ aut luna (Σελήνη) aut ægyptiaca omnia, ut crocodilus, Hathoris vacca lunata fronte, aut ibis, aut hippopotamus, aut Isidis symbolum sistro sæpe apposito quod Novæ Isidis filiæ convenit; Jubæ autem aut romana, aut sæpe etiam Libyca quæ et majores ejus habuerant, ut elephas, interdum turritus, leo, aut Libya elephantis

(1) Müll., *Suppl.*, p. 76.
(2) *Id.*, III, p. 116.
(3) *Id.*, num. 103, 104.
(4) *Id.*, num. 84-102.
(5) *Id.*, 75, et *Suppl.*, 102ª. Interdum tamen, etiam in nummis latine inscriptis, annus regni græcis litteris exprimitur, scilicet in num. 38, 39, 40, 40, 41, 47.

ornata spoliis (1). Ita ut et in communibus conjuges aperte æquiparentur et insuper diversorum habeant uterque suam nummorum seriem. Privilegium sit an jure proprio et nomine suo Cleopatra feriat inter doctos non constat homines. Muellerus, etsi sententiam absolute non pronuntiet, ad priorem inclinare videtur, Mommsenus ad alteram quæ diceret Cleopatram fuisse non solum *regis uxorem* sed et suo jure *reginam*.

« Quod si, addit Mommsenus, Cleopatræ hoc concessum est ut suo jure regnaret, fieri potest, quum Annales scribant Jubam ab Augusto et partem regni paterni, id est Numidiæ, accepisse, et præterea regnum Mauretaniæ, ut illud ipse habuerit, hoc uxoris nomine; sed potest etiam utrique conjugi totum regnum communi nomine datum esse. » Sin autem ea vera sunt quæ ego de regnis a Juba acceptis et uno pro altero mutatis exposui, illud prorsus negabitur, hoc autem quam verosimile sit conditio amborum antequam regnarent asserit. Juba enim, sublato per formulam provinciæ regno Numidiæ perinde ac si nunquam fuisset, quis alius erat ac privatus homo, nomine C. Julius Regis Jubæ f. Juba, ut ille ex stirpe regia Britannus quem tituli Claudio imperante Ti. Claudium Regis Cogidubni f. Cogidubnum (?) notum faciunt, et quem regem nullomodo fuisse comprobavit Mommsenus (2)? Cleopatra jure quidem infimo loco

(1) Müll., 20, 83, 75, 21, 18, 71.

(2) *Hermes*, X, p. 369 et seq. Adde etiam M. Julium Regis Donni

jacebat, spuria patre nullo et matre mancipio populi romani, sed regina ipsa vocata fuerat quum Antonius ei Cyrenaicam, fratribus Asiæ regna, largitus fuerat : incassum quidem, nam Cyrenaica provincia et erat et mansit. Quidquid igitur regnorum et regii nominis habuerunt, si ad jus utique stare volumus, donum (1) fuit et similiter utrique potuit dari. Quod mihi probabilissimum videtur, quum auctores et regnum et nuptias simul una recordentur. Crederem et desponsos et regem reginamque a populo romano appellatos et æquo jure regno donatos paulo post Actiacam pugnam, Cleopatram vero nummis tunc demum illatam fuisse postquam satis ætate creverit ut regnare eam dici aliquomodo posset, eam tamen et antea aliquid plus illo habuisse, quum regina ipsa fuisset, ille privatus regis filius.

Non tamen dubitare vellem quin Juba communem auctoritatem reipsa solus exercuerit, ut semper natura evenit in ejusmodi consortiis, præcipue quum consociantur patri filius viro conjux. Fuerunt tamen et feminæ quæ, ingenio stirpe jure aut quavis alia causa supra consortem stantes, revera sceptrum tenerent, ut Pythodoris viro filio nepoti conjuncta. Sed rara exempla sunt, ac quasi semper maritus a natura datum locum et in solio retinuit, neque Juba is fuisse videtur qui ab eo facile cederet, et Cleopatra nusquam

f. Cottium, qui nondum rex erat quum Segusione arcum Augusto dedicavit (*C. I. L.*, III, 7231), sed tantum præfectus quatuordecim regni quondam paterni civitatibus constitutus.

(1) Tac., *Ann.*, IV, 5.

nisi in nummis apparet regiæ condicionis particeps.

Ceterum multo ante maritum decessit, et filium parvulum reliquit, Ptolemæum nomine. Etenim a Tacito (1) accepimus hunc adolescentem ann. D. 23 fuisse quum patri in regnum successit; vix igitur potuit multo ante Christum natum natales habere. Juba autem ann. D. 6 jam secundas nuptias et inierat et solverat (2), quæ si (ut ingeniosissime conjecit C. Muellerus) tempore Arabici belli factæ sunt, Cleopatra, circa annos nativitati Christi vicinos mortua, haud multo annos vitæ xxx superavit (3).

Fuit Glaphyra, quæ Jubæ post Cleopatram defunctam nupsit, filia Archelai Cappadociæ regis, vidua morte Alexandri, Herodis filii, quem pater neci dederat ann. a. C. 3 aut 4. Unus eam Jubæ nupsisse narrat Josephus (4), additque post mortem Jubæ tertias adiisse nuptias cum ethnarcha Archelao, primi mariti fratre, et mortuam ann. D. 7. Sed Juba quum vixerit usque ad ann. D. 23, plurimi docti homines, aut partim aut omnino a Josepho data rejicientes, alii matrimonium cum Juba fuisse negant, alii inter quos Mommsenus matrimonium cum Archelao, omnes prorsus erravisse Josephum putantes, quanquam sane istarum rerum gnarus esse, ut videtur, debuit. At mihi Sevinus videtur solutionem planam admodum suspicatus esse, et Josephus non aliter quam

(1) Tac., *Ann.*, IV, 23.
(2) Müll., *Suppl.*, p. 75.
(3) C. Müll., *Fragm. hist. Gr.*, III, p. 466.
(4) Jos., *Ant. Jud.*, XVIII, 13; *B. Jud.*, II, 7.

levi negligentia peccavit. Recte enim viduam Glaphyram, perperam Jubam mortuum tradit, quum illa divortio, non funere viri, ad Archelai nuptias vacaret. Placuit sententia C. Muellero, ut quæ optime concordat cum lucida ipsius conjectura Jubam cum C. Cæsare in Oriente fuisse, et conjecit valentissimus vir verbum quidem μεταστῆναι quo Josephus utitur in fonte cui attigit de profectione regis positum, sed ab eo minus attento de obitu ejus acceptum. Juba igitur, Cleopatra amissa, ad bellum Armeniacum Arabicumque profectus, eo ineunte in Judæa moratus, Glaphyram uxorem sumpsit, quam postea ann. D. 4, relicta expeditione, repudiavit priusquam in Libyam rediret : atque ita per breve tempus et absens cum ea matrimonio junctus fuit. Nullo autem scriptore romano ejus historiam instituto opere plenam totamque narrante, nemini eorum qui ad nos pervenerunt occurrit ut Glaphyræ mentionem faceret; sed Josephus, res Judaicas tractans nactusque et domum ejus et ipsam, tres ejus maritos numerat, quorum secundus Juba est.

Glaphyram Mauretaniæ nummis nunquam illatam nemo mirabitur. Nam neque in Mauretaniam venit si vera sunt quæ supra retuli, neque diu apud Jubam fuit, neque (quod omnia anteit) proprio jure regnavit. Aliud autem hujus et Jubæ monumentum est, titulus scilicet Atheniensis a Mommseno et indicatus et feliciter suppletus, qui ita est (1) :

(1) *Eph. ep.*, 1873, p. 278.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ο δημος
ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ γλαφυραν
ΑρΧεΛΑΟΥ ΘΥΓατερα ιοβα
ΓΥΝΑΙΚα αρετης ενεκα

Duo præterea tituli, ut videtur cum illo positi, et patrem Archelaüm regem cui Pythodoris nupsit Polemone mortuo, et fratrem regem Archelaüm nominant.

Hæ fuerunt Jubæ uxores. Prolem autem ei fuisse ex Cleopatra genitum filium, nomine Ptolemæum, omnes auctores asserunt. Sed quæstio alia occurrit, quod Drusillam, M. Antonii Aug. lib. Felicis uxorem, Antonii IIIviri et Clopatræ reginæ neptem fuisse Tacitus dixerit (1) : unde plures crediderunt eam Jubæ et Selenes filiam. Trium vero reginarum maritum quum Felicem Suetonius dicat (2), obscura admodum quæstio est triplicis matrimonii : quam etsi non repetere mallem, tamen pauca ad rem nostram pertinentia retractare necesse est. Fratrem eum Pallantis potentissimi liberti, Antoniæ Claudii matris libertum fuisse, sed in equitum numerum adscriptum et ad summos exceptis præfecturis prætorii Ægyptique hujus ordinis honores provectum, ut qui provincias cum copiis procurator habuerit, perversissimum præterea hominem et ad omnia scelera callidum in Judæa jus regium servili ingenio exercuisse, Tacito auctore novimus. Secum in Judæa habebat uxorem

(1) Tac., *Hist.*, V, 9.
(2) Suet., *Claud.*, 28.

suam Drusillam, Herodis Agrippæ et Cypri conjugis ejus filiam, quam Azizo Hemesæ regi priori marito abstulerat, ut diserte narrat Josephus (1), et ab ambobus notum est interrogatum fuisse Paulum Apostolum (2). Quænam autem fuerint duæ ejus præterea uxores nullus auctor tradidit. Quo fit ut inter tres sententias eligendum sit : aut locum Suetonii in codicibus omnibus corruptum, et II pro III restituendum esse, quod per se haud impossibile tamen omni auctoritate caret; aut Josephum erravisse in omnibus quæ de Drusilla et ejus domo retulit, quod prorsus improbabile est de rebus patriis quibus ipse interfuit et hominibus quibuscum familiariter agebat locutum; aut contra peccavisse Tacitum, quod vix credendum videtur quum ille diserte dicat Felicem, Drusilla in matrimonium accepta, Antonii progenerum, cujus Claudius nepos, fuisse, neque intelligeretur quomodo ipsius Cæsarum domus necessitudines ignorare aut confundere potuerit. Inter quas conjecturas unusquisque uti feret animus eliget; sed mihi, quanquam dubia et inter eas forsan ponenda quibus in desperatis casibus utuntur, quarta quam sum dicturus non inaccepta foret. Conjecerunt enim quidam de diversis mulieribus locutos Tacitum atque Josephum, et duas Drusillas fuisse in numero trium reginarum ab Antonio Felice ductarum. Obstat autem quod locus Taciti quo Drusillæ nuptias discimus eam fuisse in Judæa

(1) *Ant. Jud.*, XIX, 7; XX, 5.
(2) *Act. Ap.*, XXIV, 24.

cum marito impliciter monstrat (1), et uxor Drusilla quacum in Samaria Felix degebat Judæam fuisse novimus (2). Quod si duæ Drusillæ fuerunt ejusdem Felicis conjuges, erravit utique Tacitus ad alteram tribuendo quæ ad filiam Herodis pertinent. Sin autem id recte, perperam tamen hoc aliud quod Judæam mulierem Jubæ et Cleopatræ filiam ex ejus dictis fuisse intelligeretur. Remedium unum foret quod, Jubæ non Cleopatræ filia, in Syria ex Glaphyra Judæa nata, una cum matre relicta fuisset; sed ita quoque peccaret Tacitus qui eam Antonii neptem per negligentiam diceret : quod quidem non credendum est, dum tam diserte ejus cum Claudio Imperatore declarat necessitudinem. Crederem ego Drusillas duas Antonio Felici nupsisse, quas Tacitus aut aliquatenus confudit aut saltem hactenus peccavit ut non satis bene caveret ne a legentibus confunderentur. Una autem erit ea de qua Josephus loquitur, filia Herodis Agrippæ. Alteram Tacitus dicit Antonii et Cleopatræ neptem, non dicit Jubæ filiam. Adde quod tempora obstant, nam Selene ante Christum natum obiit et Felix cum Drusilla ultimis Claudii imperantis annis in Judæa fuit, quæ, si filia Jubæ fuisset, L p. m. annos nata ei nupsisse deberet, quod vix credendum videtur. Erant autem Antonii Cleopatræque filii duo, Ptolemæus Philadelphus et Alexander Helios, quos una cum Selene ab Octavia educa-

(1) Tac., *Hist.*, V, 9.
(2) Vid. Renan, *Saint Paul*, c. XX.

tos, una cum sorore in Libyam profectos, et semper apud Jubam commoratos novimus. Hos regium nomen ab Antonio datum retinuisse jam conjeci, quod etiamsi non jure habuerunt tamen liberi eorum orti regia stirpe utique dici poterant, et in reginarum numero Antonii Felicis uxorum filiam unius eorum includi. Facillime enim aut unus aut alter, nisi ipse Judaicis religionibus indulserit, uxorem eligere potuit in aliqua ex tot regum dynastarumque domibus tunc per Orientem totum Judaicos ritus secutis. Jam Helios ex Medorum regia stirpe uxorem habuerat, Jotapen Artavasdis filiam, quæ, parvulo ei ab Antonio desponsa, ab Augusto post Actiacum bellum patri remandata fuit. Verosimilius facit hujusmodi matrimonium C. Muellerus docens, ut supra non semel retuli, Jubam in Oriente fuisse, qui defunctæ uxoris fratres secum ducere potuit. Utut est, si Drusillas duas Felix duxisse creditur, unamque Antonii et Cleopatræ fuisse neptem, malim eam ex Helio (1) aut Philadelpho quam ex Selene genitam facere, quum Taciti verba non repugnent et nemo sit in causam vocandus (2).

De Ptolemæo nihil ambigitur. Fuisse eum Cleopatræ filium et constat et testatur nomen, quo qui-

(1) Helion etiam in nummis a sorore cusis una cum ea effingi sub Solis Lunæque figuris Eckhelius et Müllerus suspicati sunt (Müll., III, p. 120, et num. 43 et 95).

(2) Multo minus placeret eam Ptolemæi Jubæ filii filiam facere. Namque neque uxorem neque filiam filiumve ei fuisse novimus, et proneptis non neptis Antonii IIIviri foret; ceterum improbabilissimum omnibus modis videretur.

dem et titulo attico quem in § I retuli suspicandum videtur aliquatenus majorem nobilitatem ex matre quam ex patre filio derivatam fuisse. Etsi enim spuria erat, tamen ex illustrissima Ptolemæorum stirpe genita proclamabatur Selene, apud quos legitimis pueris facile æquiparabantur etiam adulterini, et avus Auletes rex fuerat ex concubina genitus. Masinissa quidem Romanis maximus regum quibuscum tunc tractarent semper habitus fuerat, sed barbara Numidarum gens et a Romanis et a Græcis nihilominus dicebatur. Quum autem in Oriente Græcos reges Romani viderunt, quorum plerique aut Alexandri Magni aut Darii Cyrique heredes, interdum Reges Regum, vocabantur, splendidissimum Asiæ Græciæque decus quo generis nobilitas et priscarum memoriarum gloria augebatur mirati, penes eos veram regii nominis majestatem agnoverunt, auxitque reverentiam, aut saltem indulgentiam, quod prædivites erant et quod Græcia cui dominabantur mox Romanis magistra fuit. Inter quos Seleucidæ, Lagidæ, Macedones, facile principes. Hac gloria, his memoriis prætegere potuit Augustus omnia quæ (auctore forsan Octavia) in Antonii liberos contulit. Sane quæ supra dixi de regiis Cleopatræ in Mauretania juribus conclamare mihi videntur majorem dignitatem Masinissæ domui Ptolemæorum sanguine illatam. Ubique enim vidimus originis hujus memoriam multis modis revocatam, neque fuisse credendum est quia Selene patriæ memor ejus desiderio solatia quæreret, nam Ægyptum infans reliquerat nunquam illuc regressura, et Romæ aut in

Libya creverat. Non Ægyptum, sed Ptolemæos, commemorari voluerunt et ipsa et Juba et Princeps atque etiam ceteri populi : testis sit nummus Carthaginis Novæ qui Jubæ IIviri q. q. nomen quidem gerens (1), signum tamen Ptolemaicum a Cleopatra usurpatum habet, id est Isidis symbolum; quanquam nimii momenti non est æstimandum ægyptiacum signum in Libycis nummis, quod in Carthaginiensibus interdum invenitur et Numidicis Juba antiquioribus. Succurrit nunc conjectura quam jam de fratribus fecimus, scilicet regio ejus nomini, ab Antonio patre accepto quum ei Cyrenaica destinabatur, aliquid tributum fuisse : tanta Ptolemæorum sanguini per orbem reverentia et Antonii soboli apud Augustum gratia fuerunt. Similiter et Pythodoridem, legitimam quidem sed Antonii tantum ex filia neptem et ab altera parte privatorum sanguine natam, nobilitatem et jura majora filiis suis dedisse, quanquam pater eorum rex Ponti dudum ante factas cum ea nuptias fuisset, rectissime Mommsenus monuit. Quin etiam gentilicium posteris suis tradidit, qui Antonii fuerunt; neque aliter mihi cum Cleopatra res fuisse videtur, quum hoc nomen Ptolemæi Lagidis manifeste gentilicii loco fuerit, ut Arsaces Parthorum regibus, et ab unoquoque ex antiqui Soteris posteris cum proprio cognomine acceptum. Aliqua insuper Selenen reverentia a Juba habitam illud quoque monstrare videtur quod eam Græcorum Romanorumque more unicam uxorem

(1) Müll., III, num. 108.

tenuit, neque, ut mos erat Numidis Maurisque regibus, plures legitimæ conjuges thalami participes fuerunt (1). Nempe Sophonisbe et duabus aliis Carthaginiensibus, quarum nomina non dantur, exceptis, nulla præter Selenen Maurorum Numidarumve uxor in monumentis aut scriptoribus comparet.

Ex tam clara et regia femina genitum, patri in regia dignitate consociatum fuisse Ptolemæum nummi plures ostendunt. Non quod, ut Eckhelius credidit (2), potestatis particeps fuerit, sed quia honoris causa et diademate et nomine regio fuerat decoratus : sic enim apparet in nummis a Juba cusis (3), quorum unus ultimi vitæ ejus anni est, alter autem ad annos multo superiores pertinet, unde quidam conjecerunt (4) tantum Ptolemæorum sanguini tributum ut Augustus, Cleopatra mortua, filio regium ejus titulum ubi primum per ætatem licuit adolescentulo transferret. At rursus Juba invenitur in nummis a filio post eum regnante emissis (5), et primi et penultimi anni.

Neque is unus honor Jubæ defuncto fuit, et forsan per splendorem regni et vitæ gloriam vel maximis haud indignus erat. Post Masinissam enim et filium ejus Micipsam nullus in regia stirpe aut major aut felicior aut splendidior fuerat. Acceptissimum quo-

(1) Sall., *Jug.*, 80. Erravisse eos qui Jubæ πολυγαμίαν memoraverunt ex iis quæ de Glaphyræ matrimonio diximus constat.

(2) Eckhel, *D. N.*, IV, p. 159-160.

(3) Müll., III, 105, 106.

(4) Vid. Bohn, *De cond. reg.*, c. II.

(5) *Ibid.*, 109 à 111.

que et populo fuisse cognoscimus ex eo quod ejus nomen in tanta reverentia mansit ut posthac, in provinciam redacto Mauretaniæ regno, illo se decoraverit si quis, novas res appetens, gentibus gratum esse cupiebat. Tradit enim Tacitus (1) Lucceium Albinum procuratorem post mortem Neronis suspicionem movisse quia et insigne regis et Jubæ nomen usurpare spargebatur, quod ei capitale fuit. Vivus quidem Juba quum tot a populo romano quæ supra retulimus tum varia a nobilissimis civitatibus honoris causa acceperat: qui Gadibus IIviratum teste Avieno (2), Carthagine Nova IIviratum q. q. cujus nummi et titulus exstant (3), utriusque et forsan multarum aliarum patronatum obtinuit (4), Athenis autem statuam cum altera filii in gymnasio Ptolemæi (5), præter aliud quod retuli sine dubio commune monumentum, habuit. Minime ergo mirabimur deum post mortem habitum : neque solum inter divos, ut fiebat Maurorum regibus etiam vivis, adscriptus est, sed cultu quod domui et regno superesset prosecutus, quem cultum primis Ecclesiæ christianæ sæculis adhuc in Mauretania viguisse testantur Minucius Felix et complures diserte alii (6).

Juba ut plerique reges neque in regno nomine suo

(1) Tac., *Hist.*, II, 58.

(2) Avien., *Or. Marit.*, 275.

(3) Vid. § I ; Mull., III, num. 108.

(4) Vid. *Acad. I. et B.-L.*, t. XXXVIII, p. 104.

(5) Paus., I, 172. Jam atavus Masinissa statuam Deli habuerat (Homolle, *Arch. des Miss.*, ser. III, t. VII, p. 71).

(6) Min. Fel., éd. de 1612, p. 15 ; Lact., *De fals. relig.*, I, 11 ; Cypr., *De idol. vanit.*, 2 ; Tertull., *Apolog.*, 24 ; Nic. Dam., fragm. 115.

romano utebatur, et usum græcum secutus proprium patrisque usurpabat adjecto prænomine Regis. Sic quoque Ptolemæus in hisce titulis vocatur (1):

GENI|*o*
REGIS · PTO|*lemaei*
REGIS |*iubae · f*

*
* *

REGI · PTO
LEMAEO ·
REG · IVBÆ · F

---

*
* *

*r*EGI · PTOLEMAE*o*
REG · IVBAE · F ·
L · CAECILIVS · RVFVS
AGILIS · F · HONORIBVS
OMNIBVS · PATRIAE
SVAE · CONSVMMATIS
D · S · P · F · C · ET · CONSACRAVIT (2)

Sic et Juba in nummis, unde illum sibimetipsi nomen usurpasse REX · IVBA · REGIS · IVBAI · F ·

(1) *C. I. L.*, VIII, 9342, 8927, 9257.

(2) Plagulas emendanti Cæsarea mittuntur fragmenta nova duo, quæ ita :

ƆD
regis · *i*VBAE

*
* *

////////VS REGIS PTOLEMAE
////*ia*NVARIVS · VIXIT · ANN
////*im*MVNIS · ET · CINNMV
//////////TIS

comperit, et in nummis Carthaginis Novæ ejus nomine ut IIviri q. q. insignibus IVBA · REX · IVBAE · F · II V · Q · Q · legitur (1).

Quis finis et regni et gentis regiæ fuerit nemo est qui ignoret. Ptolemæus enim, juventa et superbia impotens, ceterum regni negligens et libertis permittens omnia, Caligulæ in odium venit per fastum atque etiam forsan per graviora quædam crimina, et avaritiam insuper tentabant prægrandes divitiæ. Ideo Princeps eum, postquam aliquandiu in gratia habuerat, subito perdere statuit, accitumque Romam in carcerem misit et paulo post interfecit. Ann. D. 40 Mauretania, in duas divisa, provinciarum formam accepit, non autem libente animo, quæ longum illud et sævum bellum, quo L. Suetonius Paullinus etiam amplius inclaruit, priusquam cederet sustinuit. Unde nobis putandum est immaturius ab Imperatore actum, et opus fuisse longiore Jubæ similium regum serie ut imperio romano omnia præpararentur. Saltem romana nec cito nec omnino Mauretania facta est, neque ante Antoninorum tempus tota colonis moribus artibus lingua Romanorum occupata est, quæ omnia nunquam absolute, exstinctis, ut alias factum est, aut transformatis aliis, in ea regnaverunt.

(1) Müll., III, 87, 108.

VI

JUBÆ INGENIUM, OPERA, INDOLES, RELIGIONES, MERITA, OPES; QUALEM POST SE MAURETANIAM RELIQUERIT.

Juba, ut notum est jamque non semel diximus, multa de multis scripsit, πολλὰ πάνυ, ut ait Suidas, qui tamen operum non dedit elenchum. Sed neque omnia ejus scripta referre nec de iis quidquid dici potest dicere fert animus : primum quod a multis vel de eo vel de rebus quæ ei scribenti materia fuerunt tractantibus est factum, post quia litterariam historiam texere non institui, denique quia alterius libri præsente etiam majoris opera foret. Tamen quæ et quomodo scripserit videre necesse est, si ingenium ejus et indolem noscere aliquatenus volumus.

Opera a C. Muellero indicata (1) hæc sunt :

Ρωμαϊκὴ ἱστορία, quam profecto ex duobus tantummodo libris constitisse negare debuisset ;

Ἀσσυριακά, duobus libris ;

Λιβυκά, libris ut sequamur minimum tribus ;

(1) *Fragm. hist. gr.*, III, p. 467.

De Arabia et vicinis regionibus ad C. Cæsarem Aug. f. liber seu libri;

Physiologa, de quibus forsan dubitandum foret;

De Euphorbia herba;

Περὶ ὀποῦ;

Περὶ γραφικῆς sive Περὶ ζωγράφων, libris minimum octo;

Θεατρικὴ ἱστορία, cujus liber XVII citatur;

Ὁμοιότητες, cujus librum XV invenimus;

Περὶ φθορᾶς λέξεως, libris minimum duobus.

Insuper datur ab Athenæo epigramma trium distichorum (1).

Ex tot operibus quæ respiciens Plutarchus Jubam vocavit πάντων ἱστορικώτατον βασιλέων (2) nullum tempus tulit; fere omnium autem fragmenta habemus, nam posterior ætas ex iis multa hauserat : quæ tamen sine dubio plura sunt quam novimus, veteribus non semper auctorem citantibus. Sed parva mutila divisa fragmenta sunt, ut vix pagina integra cum ipsius verbis una servata sit, et universa intra paucissimas facile contineantur. Ceterum quo tempore unumquodque scriptum fuerit, omnino ignoratur, nisi quod librum de Arabia ad C. Cæsarem tempore orientalis expeditionis (quæ ab ann. a. C. 1 ad ann. D. 4 duravit) exaratum fuisse manifestum est. Materia autem singulorum hanc fuisse aut traditur aut ex fragmentis colligimus.

(1) Müll., *Fragm. Jub.*, fragm. 83.
(2) Plut., *Sertor.*, 9.

Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν (1) nominabat Stephanus Byzantinus Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν (2) : non quod nihil præter antiquiora rerum romanarum tempora tractaret, sed quia sic vulgo utrumque vocabulum unum pro altero usurpabatur, ut factum esse videmus in Dionysii Halicarnassensis opus. Quod autem dictum fuerat, non exstitisse Jubæ hujusmodi scriptum, eumque pro Dionysio a Stephano minus attento laudatum, nunc errore conjectum apparet. Peccavit tamen Stephanus, vel potius codicis conditor, quem secutus Muellerus duobus tantum ex libris constitisse opus credere videtur. Perperam numerus traditur, et multis modis manifestum est maximum opus fuisse. Amplectebatur enim quidquid temporum interest ab Urbe condita ad mortem D. Augusti; nec obstat titulus, modo quum multos alios tum maxime Flavii Josephi libros interrogemus, qui sub Ἀρχαιολογίας, id est *Antiquitatum*, nomine ad ipsius auctoris ætatem perveniunt. Nec breve rerum summarium fuit, sed continua locuplesque narratio, quam fuisse etiam abundantiorem ubi aut de temporibus aut de regionibus gentibusque auctori propioribus ageretur plura quæ infra exponam edocent. Narrationi insertæ frequentes occurrebant particulæ ad mores instituta linguam et similia pertinentes, quæ interdum etiam dissertatiuncularum in formam gliscebant, et quibus in condendis Juba alio suo opere, Ὁμοιότητας dico,

(1) Müll., fragm. 1-20.

(2) S. v. v. Ἀβοριγῖνες, Ὠστία, Νομαντία.

utebatur. Ceterum *Historia Romana* a multis postea scriptoribus fontis loco habita est, præcipue Appiano, Plutarcho, Cassio Dione, et sequioris ævi innumeris epitomatoribus chronographis rerumque collectoribus.

Magnum quoque opus fuisse Ὁμοιότητας discimus ex eo quod earum liber xv apud Hesychium (1) citatur. Fuerunt hæ ejusdem ferme generis ac libri quos multi scripserunt αἰτιῶν nomine, Varronem in *Æliis* secuti, qui Callimachi exemplum ipse imitatus fuerat. Nos autem Plutarchi habemus *Quæstiones romanas* cxiii, quæ nobis qualis fuerit hujusmodi operum ratio optimo exemplo ostendunt. Magnam autem partem doctrinæ quam in *Quæstionibus* exhibet, Plutarchum ex Jubæ utique Ὁμοιοτήτων hausisse nunc plane comperit; nec forsitan multo ipsius Jubani operis forma a forma Plutarchei aberat. Apud Plutarchum, qui etiam quæstiones græcas, questiones platonicas, quæstiones naturales, quæstiones convivales, quæstiones de Arati signis fecerat, ratio operis hæc est : scilicet de unaquaque re quæstio instituitur sub formula interrogativa διὰ τί (cur, exempli gratia, apud Romanos *Talasio* in nuptiis clamant?) ; dein refertur sententia auctoris cujusdam, aut plurium si plures diversa censuerunt; postea conferuntur, dijudicatque operis conditor. Sed Juba qui Græcis scribebat, aliud præter definitiones dabat : græco enim vocabulo, si quod erat, apposito, unamquamque e rebus romanis cum græca re consi-

(1) Hesych., s. v. v. Κάρτη, Κόρτην.

mili aut necessaria conferebat; mox, originem indagans, fere semper, ut solebant illorum temporum auctores, e Græcia ad Romanos transmigrasse institutum, sæpe quoque nomen, docebat; haud raro etiam tangebat aliarum gentium res mores historiam. Unde fit ut illorum qui apud nos *Dictionnaires des antiquités* vocantur Jubæ liber munus apud veteres sustinuerit. Ita eo Plutarchum usum fuisse jam memoravi, nec minorem apud lexicographos scholiastasque et grammaticos favorem posterioribus sæculis obtinuit. Ipsum quoque auctorem in *Historia romana* conscribenda ex eo particulas sumpsisse vidimus, unde etiam demonstrantur Ὁμοιότητες ante eam scriptæ nullo modo appendix fuisse, ut quidam conjecerant.

Librorum duorum quos *De Assyriis* fecerat se a Beroso materiam mutuatum ipse, testibus Tatiano et Clemente Alexandrino, fatebatur (1); neque aliud forsan in mente habuerat quam opus Chaldæi sacerdotis in breviorem potioremque formam reducere.

Opus *De Arabia et terris adjacentibus* ad C. Cæsarem Aug. f. (2) quando et cur scriptum fuerit jam supra exposuimus. Ipsum Jubam partem earum terrarum vidisse probabilissimum diximus, et ea quæ non vidit ex priorum operibus (quidquid inde a tempore Alexandri Magni scriptum fuerat summa cura excutiens) desumpserat. Nusquam alias apud veteres tantum de regionibus illis invenitur, et ab eo Plinius

(1) Vid. Müll., fragm. 21, 22.
(2) Fragm. 36-67.

fere omnia habuit quæ in *Historia naturali* Jubam regem et romana arma secutum se exponere fatetur. Unde fit ut nullius Jubani operis plura et majora fragmenta supersint, inter quæ multa a Juba ex antiquioribus deperditisque auctoribus assumpta, Onesicrito Nearchoque præsertim, usque ad nos pervenerunt. Opus autem omnia de regionibus Arabicis exhibuisse videtur, et geographiam et naturalem historiam et quidquid de populis et casibus eorum innotuerat. Multas vero terras amplectebatur, et ex eo etiam de India alii nonnulla hauserunt; vix credas igitur intra unius libri hæc omnia stetisse spatium, et Plinius regis Jubæ de Arabia volumina vocat (1). Jam vero inter auctores quorum in eo scriptor vestigia premit, memorandus in primus nobis est rex Archelaüs Cappadox, ipse quoque C. Cæsaris in orientali expeditione comes, et, quod nobis omnia anteit, Glaphyræ pater. Scripserat is de Regionibus quondam Alexandro Magno subditis; nec quidquam conjecturas nostras de Glaphyræ nuptiis magis confirmare potest quam ista patris cum Juba in longo bello societas communiaque stipendia. Probabilissimum videtur, ut hariolatus est unus e recentissimis, regem Archelaüm ad ipsam hanc expeditionem opus suum conscripsisse. Satis enim libere Juba ex coævorum suorum libris haurire consueverat, ut Livii et Dionysii. Credendum autem videtur ante initum bellum Archelai

(1) Plin., *H. N.*, VI, 27, s. 31.

opus confectum fuisse, ita ut Juba bello durante publicæ jam rationis factum adhibere potuerit.

Sed omnium geographicorum regis Jubæ operum hoc maxime nobis pretiosum foret quod *de Libya* (1) scripserat. Quod enim ad chorographiam pertinet, ipse multa a se explorata et indagata referebat, et quidquid ab aliis tradebatur collegerat : neque alia jactura magis deploranda videtur. Quod ad historiam, punicis fontibus attigerat, inter quos in primis erant Periplus Hannonis et avi Regis Iempsalis libri (2) ; quumque hodie nullus exstet in hac lingua scriptus liber, ea maximi pretii forent quæ Juba inde sumpserat. Sed paucissima fragmenta exstant, ex libro maxime III, nisi forsan eis addenda sunt vestigia ex opere *De Euphorbia herba* (3), quod βιβλίδιον vocat Galenus et varii auctores citant. Creditur enim a multis appendix quædam fuisse ad libros *De Libya*, idemque de Περὶ ὀποῦ libello censuerunt, quasi et ipse appendix ad aliud quoddam opus fuisset. Mihi quidem satis insulsa sententia ea videtur, omninoque nihil obstat quin Juba, qui multa de historia naturali scripsit, singula opuscula Περὶ ὀποῦ et Περὶ Εὐφορβίας fecerit. Contra ex Libycis crederem, ut jam plures auctores conjecerunt, omnia ea venire quæ Plinius de elephantis a Juba accepisse ait, in quibus rerum testem sæpius rex se profitetur (4) ; sed etiam e *Physio-*

(1) Fragm. 23-38.
(2) Vid. ad fragm. 29.
(3) Vid. ad fragm. 27.
(4) Fragm. 30-38.

logis, si fuere, excerpi potuerunt. Quod tamen de Sertorio Plutarchus a Juba accepit, utrum ex Historia an ex Libycis fluxerit, ambiguum (1). Apparet ex indole rerum in fragmentis superstitibus dictarum omnia de Libycis terris in Jubæ opere collecta fuisse, quum hic et de elephantis, et de fluviis et montibus et Nili origine, de gentibus et historia, de arboribus ac herbis, denique de fructibus soli et industria hominum, etsi pauca tantum et minuta fragmenta sunt, legitur.

Historicarum disciplinarum ramum illum quem recentiores *archæologiam* vocant tentaverat etiam rex ἱστορικώτατος, nec solum in Ὁμοιότησιν, nam et longum conscripserat et sine dubio magni laboris opus Θεατρικὴν ἱστορίαν inscriptum (2). Qua utique ratione esset ignoratur, hoc tamen satis comperit : collectis scilicet omnibus quæ ad rem theatralem aut spectabant aut spectaverant apud Romanos Græcosque, cujusque rei definitionem et historiam præbebat : unde fit ut lexicographi, scholiastæ et collectores rerum variarum eo sæpius usi sint. Fragmenta quoque auctorum ad rem suam facientia dabat, quæ nunc in ipsius fragmentis usque ad nos pervenerunt, ut illud satis longum Athenionis comici (3). Sed ea quasi omnia (ita enim casus voluit) quæ servata ex eo habemus, de instrumentis musicis aut de saltationibus sunt.

(1) Fragm. 19.
(2) Fragm. 73-82.
(3) Fragm. 82.

Item « *de Arte Pictoria et de Pictoribus* eorumque operibus (1), multis, ait C. Muellerus (2), exposuit voluminibus, ex quibus nihil nisi duo de Parrhasio et Polygnoto fragmenta perdurarunt. Fortasse descriptio picturarum quibus Polygnotus aliique monumenta Athenarum ornaverant in causa fuit cur amicum Augusti civitate donandum statuaque honorandum putaverint Athenienses. »

Ex omnibus iis operibus multa jam ad grammaticam accedebant, quum partim ex verborum definitionibus et ejusmodi rebus constarent, præsertim Ὁμοιότητες. Omnino autem grammaticum erat illud cui titulus fuit Περὶ φθορᾶς λέξεως. Ex paucis quæ sunt vestigiis (3), fuisse videtur collectio vitiosarum dictionum cum probis collatarum, et definitio verborum ex sermonibus barbaris male in græcum intromissorum. Sed multi Jubani loci ab auctoribus servati nihil aliud sunt quam definitiones ad proprium usum a lexicographis accommodatæ, neque forsan ejusdem formæ erant in libro unde sumpti sunt : quo fit ut, præcipue in isto et aliis ejusdem generis, omnino rationem operis reperire non possimus.

Ad historiam naturalem jam duo memorati libelli, licet ad medicinam magis forsitan spectent, pertinere etiam videntur. Sed erat et aliud opus, cujus perpauca novimus (4), Φυσιολόγων inscriptum nomine, quod etiam

(1) Fragm. 70-72.
(2) P. 468.
(3) Fragm. 86-88.
(4) Fragm. 68-69.

exstitisse, ab uno Fulgentio nominatum, docti plures homines negant. Forsan satis locuples fuit collectio rerum in natura mirabilium. Forsan etiam *De re rustica* Juba aliquid scripserat (1). Plura insuper fragmenta sedis incertæ habemus, et fieri potest ut quædam ex omnino deperditis libris supersint.

Alia, præsertim *de metris* (2), Sevinus et Vossius cuidam ejusdem nominis sed serioris ævi grammatico tribuerunt : non tamen sine controversia, nam fere solam rationem dederunt quod latina lingua traduntur ; at Muellerus recte monuit nihil obstare quin Juba de rebus latinis latino sermone dixerit, præsertim quum de metris latinis ageretur, et scimus apud Græcos raro tantum latinæ linguæ tributum fuisse ut eam tractare dignarentur. Sed mihi alicujus momenti esse tamen videretur quod Servius (3), de his verbum faciens, auctorem Jubam artigraphum, non Jubam regem, nominet. Dubitandi vero causam en sustulit H. Peterus docens ea non esse quæ Jubæ tempori adscribi queant, nedum ipsum habeant auctorem. Fuit igitur, tertio ut videtur sæculo, grammaticus quidam nomine Juba, qui latine de metris disseruit.

Nunquam autem omnino noster nisi græce scripsit. Fragmenta quidem quæ exstant græce aut latine exprimunt, quisque sua lingua, auctores. Sed appa-

(1) Vid. fragm. 69.
(2) Fragm. 91 ; Vid. et p. 468.
(3) *Ad. Æn.*, V, 522.

rent quum ex indole rerum tum ex multis indiciis græca apud Jubam fuisse. Attamen unum superest *De Arabia* opus quod latine conditum fuisse Dodwellus contendere voluit (1), maxime quia spatia Græcorum ad Romanorum milliaria conditor redegit, quamvis ea stadiis et parasangis expressa apud auctores suos inveniret. Jure vero C. Muellerus (2), Petero tamen non assentiente, monuit cavendum ne conversionem Plinius, non Juba, fecerit, sicut sæpissime solet quum ex græcis haurit fontibus. Præterea Jubam a Romanis nusquam vindicatum cernimus, quem contra Plutarchus bis inter græcos scriptores mittit. Ait enim apud Cæsarem educatum ex Barbaro et Numida Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις ἐνάριθμον γένεσθαι συγγραφεῦσι ; et alias, ubi dividit auctores quibus utitur, ab una parte Livium Cæsarem Nepotem ponit, ab altera τῶν Ἑλληνικῶν regem Jubam (3). Neque solum græco sermone sed græco etiam animo scripsisse Jubam crederem. Fabulas enim græcas Libycis in historia miscuisse, et Græcos auctores in hoc imitatum fuisse quod romana omnia a Græcis derivata faceret, fragmenta ejus testantur : ut qui græcis disciplinis ita informatus erat ut non aliter ac græcus rhetor de rebus omnibus diceret.

Nullum vero ex litteratis, artificibus, doctis hominibus quos apud se accitos tenuit, præter medicum

(1) Vid. Müll., ad fragm. 39.

(2) P. 468.

(3) Plut., *Cæs.*, 55; *Comp. Pelop. cum Marc.*, 1.

Euphorbum Leonteumque tragœdum novimus. Is natione Argivus, Athenionis discipulus, magistri sui operibus gratiam apud regem parasse videtur, quum ex libris Jubæ Athenionis fragmentum Athenæus desumpserit unicum nobis quod exstet, unde et auctoris nomen et Samothracum comœdia et aliquatenus gloria notescunt. Ipsum quoque Athenionem, nusquam alias nominatum, C. Muellerus suspicatur etiam apud Jubam fuisse; Hypsipyle autem illa de qua, regis epigramma referens, Athenæus mentionem facit, an eum auctorem habuerit, nullo modo scire licet. Οἰκέτην Jubæ fuisse Leonteum tantummodo constat, et ex ipso epigrammate gulæ parum temperantem (1). Euphorbi Juba ex nomine euphorbiam appellavit herbam de qua supra memoratum, et naturam virtutesque ejus a medico potius exploratas ut regi materia daretur facillime credideris. Antonii Musæ frater Euphorbus fuit, an ejusdem patroni libertus ambiguum. Pernotum est Musæ causa, postquam Cæsarem Augustum mortis periculo eripuit ann. a. C. 23 inter equites adsciti, majus quam antea decus medicis Romæ fuisse; et Euphorbus apud Jubam non minorem locum habuit (2). Scimus autem eum, fraternæ gloriæ participem, eamdem quam

(1) Müll., *Fragm.*, 82, 83.

(2) Plin., *H. N.*, XXV, 28. Fuerunt qui dubitarent ex ejus nomine herbæ nomen inditum fuisse; nam Salmasius eam apud Meleagrum poetam, duobus sæculis antiquiorem, reperire sibi visus est (*Proleg. ad Homon. Hyles Iatr.*, p. 5). Sed Plinium recte locutum quum aliunde verosimile est, tum id quoque nobis asserit quod apud Meleagrum (*Carm.*, I, v. 37) ἐκ φορβῆς, non εὐφόρβης, consensu fere omnium legitur.

Musa tenebat in curandis corporibus rationem secutum : iidem fratres, ait Plinius, instituere a balneis frigida multa corpora adstringere.

De Jubæ operum meritis non plenus consensus est, neque idem de iis censuisse veteres recentioresque videntur. Romani eum, teste Plinio (2), studiorum claritate memorabiliorem etiam quam regno habebant; et Græci, ne repetam jam citata loca Plutarchi, ἄνδρα πολυμαθέστατον Athenæi voce salutant; laudesque de eo maximas apud omnes invenies. Ita ut Didymus, qui contra eum multa scripserat et nulli ex ejus erroribus perpercisse gloriabatur, quasi Zoïlus alter teneretur, et etiam a Suida χαλκέντερος dictus fuerit. Recentiorum autem opinionem potius exprimere videtur C. Muellerus, qui ita : « Fidem ejus, ait, et auctoritatem in multis impugnavit Didymus... Parum hoc me moveret, nisi fatendum esset nihil me in reliquiis deprehendisse quod virum prodat cum multiplicis eruditionis copia jungentem etiam acumen ingenii et severitatem; contra nimiæ et anilis fere credulitatis vestigia sat frequentia deprehendes. Quum ita res se habeant, nescio quanam re nisi regii nominis præstigio Juba inter ævi sui polyhistores eminuerit. » Cum Didymo igitur stare Muellerum manifestum est. Ego autem, fragmenta perlegens, nescio num aliquanto severius judicatum putem.

Quod ad poesim attinet, si Juba nihil aliud præter

(1) Vid. ad fragm. 27; et cf. Suet., *Oct.*, 59, 81.
(2) Plin., *H. N.*, V, 1.

epigramma ab Athenæo relatum scripsit, aut si ea quæ scripserat huicce similia fuerunt, sane longe ab Atticis Alexandrinisque distabat, quamvis faceti ingenii vir ex lepido quodam dicto quod Quintilianus servavit appareat (1). Sed reliqua ejus non despicienda sunt. Saltem ei concedetur quod prope de omnibus disciplinis quæ tunc in honore erant ex libris ejus bibliotheca fiebat, tituloque illo Varronis Africani quem Muellerus per jocum memorat haud nimis indignus erit. Quantum præterea locum apud doctos obtinuerit, jam probaret tantum ingenii et temporis et doctrinæ a Didymo contra eum impensum in libro quem conscripserat πρὸς Ἰόβαν ἀντεξηγήσεων; in quo tamen grammatica ejus, non historica opera carpebat, ceterum ipse in scriptis suis varia ex eo mutuatus (2). Quod si ejus tantummodo laudes antiquitas tradidisset, ego quoque confiterer regio nomini tributas. Sed excerpta illa numerosa quæ, quum alii plures essent de iisdem rebus tractantes, ab eo potissimum sequens ætas haustum ivit, et nomen inter Plinii et Æliani, Plutarchi et Athenæi, Stephani Byzantini, Hesychii, Photii et Scholiastarum fontes sæpius stans loco eminenti, minime spernenda fuisse ejus opera persuadent. Et omnino mallem ego scriptoribus Jubam laudantibus dum eo utuntur et integra ejus volumina ante oculos habent credere, quam eum ipse æstimare ex paucis raritatis

(1) Quint., VI, 3, 90.

(2) Vid. ap. H. Peterum, *Ueber den Werths*, etc., p. 2 et 8.

causa e nescio qua parte operis nescio quo modo excerptis, si nihil aliud adesset de quo judicare possem. Ex iis neque merita, neque rursus vitia, librorum cognoscere licet. Quantum autem hariolari datur, propositum fere omnium laudandum potius fuit. Historiam enim aut geographiam regionis cujusdam multi tractaverunt; sed quidquid ad naturalem historiam et mores institutaque pertinet adjungere quo plenior rerum intelligentia sit, mihi non eruditi solum sed eximii ingenii est. Et apud nos, qui hodie sub *archæologiæ* nomine ipsam hanc rerum omnium ad vitam moresque pertinentium scientiam inter nobilissimas disciplinas præstanti loco posuimus, multum sane Jubæ proderit quod ei tam diligenter, quanquam nec solus nec princeps, operam impenderit.

Quid autem ad thesaurum antiquæ doctrinæ contulerit breviter exponere operæ pretium videtur. Quantum enim locum apud posterioris ætatis homines habuerit et quatenus de nobis bene sit meritus ita demum cognoscetur. Fragmenta enim collecta truncam præbent evanidamque operum e quibus veniunt notitiam : præsertim quum in numero eorum ea tantummodo ponuntur quæ nomine apposito apud scriptores occurrunt. Sed longe plura auctores ex Juba mutuati sunt, quæ recentes disquisiere, et interdum gravissima. De quibus controversias hic referre non opus est, nec omnia indicare; quid autem certioris de præcipuis rebus evadat dicendum.

Haud scio an in toto rerum romanarum tenore

majoris aliquid momenti occurrat quam bellum Hannibalicum. Quod quidem nos maxime per Polybium, Livium, Plutarchum, Appianum, Cassiumque Dionem novimus, sed sæpe inter se dissentiunt, nec eodem pretio omnia quæ dicunt facienda videntur. Optimos enim fontes quamvis Livius habuerit, forsan nusquam alias in annalibus scribendis sæpius et longius a recta erravit. Quæ enim ex Sileno, Fabio Pictore, Catone, Cincio Alimento apud Cælium Antipatrum invenit, quæ ex aliis auctoribus Polybio præsertim quæsivit, quæ denique de suo adjecit, ea omnia ita contaminat ut sæpius tempora res loca aliquando etiam homines confundat, fabulosa plurima inserat, et falsum prorsus colorem fere toti contextui induat. Polybius, multo diligentior doctrinaque et rerum intelligentia potior, ceterum Silenum optimum auctorem plerumque secutus, valde tamen suspectus fit ubi de Scipionibus loquitur, apud quos domestici scriptoris officio sedulius quam nobis placeret fungi eum manifestum est. Hos ambos adhibuit Plutarchus hujusdem belli historiam tractans in Vitis Marcelli et Fabii Maximi. Sed, dum Polybii ipsos libros legebat ita ut ex iis magnam partem rerum in Sicilia gestarum et Syracusarum obsidionem sumeret, non eodem modo rem habuit cum Livii annalibus, quas nunquam ab eo lectas Soltavius monstrare conatur. Quæ enim Liviana retulit, excerpta sunt quæ invenit apud Valerium Maximum aut auctorem Valerio usum, aut particulæ ex Juba Livium laudante desumptæ. Ex eodem quoque hauriebat quæ ex Cicerone Nepote et aliis

habuit, antiquiores vero auctores apud Cælium quærens ipsius Livii fontem primarium. Ex Ἀρχαιολογίας igitur antequam ad Vitam Marcelli conscribendam accederet universam rerum a Marcello gestarum memoriam acceperat, haud exiguam dein particulam transcripsit, in rebus Sicilicis quas Juba forte minus accurate retulerat ad Polybium refugiens, et ex Juba quoque hausit quidquid habet in principio Vitæ Fabii Maximi. Ex quibus omnibus commemorandum in primis illud Cæsaris Augusti in laudatione funebri Marcelli generi sui testimonium de sepultura ab Hannibale Claudio Marcello data (1) Jubæ beneficio nobis servatum est.

Sed plura et majora Juba ad ejusdem belli historiam contulit. Egregie enim demonstraverunt C. Peterus Nissenus præsertimque Kellerus Vollgraffiusque Appianum omnia de rebus in Africa gestis per ann. a. C. 205-201 Juba auctore narrasse, quæ apud eum priora LXVI capita libri VIII obtinent. Quanto Livianæ narrationi de his rebus Appianea præstet, novit quisquis belli Hannibalici historiam attentis oculis inspexit. Multo enim uberior diligentior et in omnibus rebus etiam Polybiana probior est : itaque posterioribus tanto acceptior visa est, ut Cassius etiam Dio et ejus vestigia premens Zonaras epitomator eumdem fontem adierint ex quo ipsa defluxerat. Appiani igitur unicus fons, Cassii Dionis præcipuus Juba his de rebus fuit. Ipse autem sine dubio avi Iempsalis

(1) Plut., *Comp. Pelop. cum Marc.*, 1.

Numidica sequabatur, nec meliorem gravioremque auctorem sane adhibere poterat. Punicis enim monumentis Iempsalem usum diligentemque scriptorem fuisse asserunt ea quæ de interiore statu atque historia Carthaginis per illa tempora Jubæ tradidit, multaque Livio Polybio ceterisque vel ignota vel minus bene intellecta per Afrum hominem optime accipimus. Sed, quod omnia anteit, unum hunc habemus qui nec Pœnus nec Romanus nec Hannibalis scriptor nec Scipionum familiaris fuerit illarum rerum auctorem. Numidam enim cernimus, studio partium omnino vacuum, patrias ante omnia res in bello punico sequentem. Quod nobis pretiosissimum est, nam inde ad vivum expressa et multa rerum copia nobilis Masinissæ persona exit, cujus partes in his rebus et in omni Africanarum gentium historia quantæ fuerint notum est. Cui etsi plus æquo favisse auctor aliquando videtur, tamen egregie de nobis, tot et tam utilia de rebus quum romanis tum punicis numidicisque tradens, procul dubio meritus est.

Neque solum Masinissa, sed ni fallor etiam Cleopatra, qualem novimus, Jubæ aliquatenus adscribenda est. Ab illa enim perfida et nimis odiosa Cleopatra quam romani plerique scriptores adumbrant ut Dio Livium secutus, a fatali illo monstro quod per scelera et turpitudines excidium imperii Capitoliique ruinam parans poetæ Augusti familiares ostendunt, quanto distet Plutarchea in Vita Antonii Cleopatra nemo est qui non animadvertat. Antonii quoque indolem et amborum res gestas nusquam uberius justius

meliusve invenimus : ita ut posteriora hujus Vitæ LXIV capita non solum et genere orationis et abundantia rerum quæ aliunde non compertæ erant Plutarcheis omnibus præstent, sed etiam inter optima historiæ antiquæ fragmenta locum habere debeant, et Wichmanno, qui eximie de iis disseruit, non nisi ex auctore egregio defluxisse videantur. Vicit sane contraria locutos scriptor ille sub alio latens, apud nos per Amyoti translationem, apud Anglos per Shakesperii drama, Cleopatramque memoria hominum potius qualem Plutarchus effingit, quam qualem Dio, retinet. Cujusnam autem Plutarchus vestigia presserit quærentes, Parthicum bellum ex Q. Dellio, Antonii in primis amico mox ad Octavianum transgresso et qui hujus belli, forsan et temporis sui, historiam conscripserat, desumptum Heerenius et H. Peterus docuerunt. Unde cetera veniant disputationum causa fuit. Maximam partem Augusti commentariis Heerenius, prope omnia Dellio Peterus Wichmannusque, cuncta autem Jubæ Vollgraffius adscribenda censuerunt. Mihi Plutarchus videtur, quum laudat Dellium Augustum Nicarchum Olympiumque Cleopatræ medicum, omnes aut apud alium quem non nominat scriptorem aut apud aliquem ex his citatos invenisse : ea est ratio quam semper in auctoribus dandis sequitur. Jubam vero hunc auctorem fuisse paulo abest quin asseram. Nempe Cleopatræ Antoniique gener, Augusti perquam amicus, neutris partibus nimium favisse potuit ; sed potius ex Q. Dellii (quem græce scripsisse minime constat neque latine locutum libenter adiisset

Plutarchus) et Augusti commentariis historiam rerum illarum sumpsit, ita ut Dellium semper præcipue sequeretur, adhibito laudatoque sæpius Augusto, et aliquot particulas ex aliorum libris excerpens. Adde quod Antonium puer Ægyptum adolescens Orientem fere senex noverat, in hoc ipso militaverat bello, et cum Olympo compluribusque aliis Cleopatræ familiaribus loqui et conversari debuit. Unde ei et voluntas usque ad tempus Augusti protrahendi historiam, et ad eam optime condendam locuples eximiaque materia. Igitur maxime Dellium a Plutarcho concedo expressum, sed inventum in Jubæ Historia, quod Vollgraffium fefellit. Utut est, gratiæ Jubæ quam maximæ agendæ sunt quod nobis tam pretiosa de Antonio Cleopatra et rebus in Oriente gestis optime exposita dederit, Delliique de Parthicis rebus, Augusti de civili bello, testimonium nobis per Plutarchum reddat.

Multa insuper alia, nec omnia parvi momenti, per eumdem de antiquitatibus moribus institutis Romanorum nobis etiam tradidit. Rectissime enim Barthus monuerat Ὁμοιότητας a Plutarcho in *Quæstionibus Romanis* et in *Romulo Numaque* expressas, animadverterantque Soltavius et Kellerius omnes fere eas particulas quæ digressionum ritu Vitis Romanorum plurium, sed maxime Marcelli, inseruntur ad antiquitates pertinentes, aut ex eo utique opere aut ex Historiæ Romanæ subjunctis adnotationibus antiquariis grammaticisque (quæ tamen ex Ὁμοιοτήτων et ipsæ assumptæ fuerint) procul dubio derivare. Ecce autem præclare

Glæsserus quidquid est Varronianæ apud Plutarchum doctrinæ ex Juba venire docuit : vestigia numerosissima, dum Plutarchus decies septies Jubam nominatim citat, Varronem novies laudat, sæpius non laudato utitur. Plutarcho enim mos erat auctores auctorum suorum potius quam ipsos citare, modo nomen occurreret; et nos eum apud Jubam jam Livium nunc Varronem mox Dionysium cognovisse scimus, ut alios multos omittam a quibus minus accepit. In *Quæstionibus Romanis*, ubi Jubam Plutarchus laudat, intellige Jubam secundum Varronem Dionysiumque locutum, ubi Jubam Varronemque, Varronem Juba interprete, ubi denique Varronem, Varronem a Juba exscriptum. Ita ad nos pervenerunt, præter permultas alias, particulæ de spoliis opimis et Jove Feretrio in Vitis Romuli Marcellique, de Romanorum anno mensibusque, ubi Varronis doctrinam Juba aliquatenus retractat, de Acca Larentia, quæ Mommseno gravissimi opusculi occasionem præbuit, de triumpho et ovatione, de sacris et ritibus, quas omnes haud mediocris pretii esse facile intelligetur. Sexcentæ vero præterea latent, nobis nondum patefactæ.

Consueverat Plutarchus unum eumdemque auctorem in unaquaque Vita aut Vitæ parte aut serie continua rerum sequi, ejusque quam arctissime insistere vestigiis, ita ut, quamvis plerumque soleret suo Marte formam orationis et stilum ut ita dicam quærere, sæpe tamen, etiam in *Vitis*, sæpius vero in *Quæstionibus*, verba illius exprimeret. Raro autem ex pluribus contaminationem tentabat. Sed præter cujusque partis

proprium auctorem, unam semper in præsto rerum universarum historiam tenuit, quam adiret temporum ordinem et perpetuum casuum contextum antequam scriberet visurus, ad quam etiam refugeret si forte scribenti memoria auctor fides deficeret. Habuit etiam antiquitatum ἐγχειρίδιον quoddam ejusdem generis, in quo congestam coarctatamque Romanorum, Varronis præsertim, scientiam ad cujusque horæ usum inveniret. Jubanum utrumque opus jam Heerenius conjecerat fuisse, nunc vero satis certum est. *Archæologiam* ducem inter auctores et monumenta veterum, *Similitudines* thesaurum rei grammaticæ antiquariæque habuit. Hic Livium, Varronem, Catonem, Sullam, Ciceronem ipsumque Augustum, sed græca sub veste, invenit, quod ei valde necesse fuit, haud satis, ut ipse fatetur, latinæ linguæ perito. Quæ utique imperitia causa fuit cur, lexici modo frequenter Ὁμοιότητας adhibens, comparationibus græcorum latinorumque nominum, Jubæ sæpe a Varrone traditis, ipse paginas suas largius consperserit : ut, exempli gratia, « ἡ λύκος μὲν ὁ λοῦπός ἐστι » vel « τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσιν. » At hercule quot et quanta latent, præsertim ex *Archæologia* desumpta ! Minus enim quam flosculi ex Ὁμοιοτήτων decerpti oculis nostris conspicua sunt, quæ ossium ritu sub corpore latent, aguntve materiaturæ partes, totum sustinentis opus, nusquam vero apparentis. Certe quum Livii sæpius vestigiis hærentem Plutarchum deprehendimus in *Vitis*, et scimus ab eo Livianos nisi apud Jubam libros fere nunquam inspectos fuisse, Jubæ gratiæ agendæ sunt si

quid boni ex immenso tot Livii voluminum naufragio in hunc portum enatavit.

Quis autem quantum Jubæ debeamus a ceteris præter Plutarchum expresso exquirere et dicere potest? Hunc enim unum placuit in exemplum adducere, quia melius apud eum indagatum et felicius est. Sed quis dubitat alios, græcos præsertim sequioris ævi, simili ratione egisse? Satis sit hic memorare indicem apud Plaggium scriptorum qui Jubæ fragmenta aut de eo testimonia diserte prodiderint ad LXVII ascendere, quem ideo absolutum minime tamen arbitror. Sunt autem primo loco Plinius Josephus Strabo Suetonius Dio Solinus Pollux Athenæus Hesychius Photius et Scholiastæ anonymi plures, quorum plerique studuerunt hujus fontis uberrimi ad se fluctus derivare. Sed omnia quæ apud eos e Juba proveniunt, longe abest quin sciamus. Dixi enim de iis quæ ad solam historiam spectant, nec omnia quidem illa detexerunt recentiores; verumenimvero in naturali historia grammatica geographia ceterisque disciplinis quas apud veteres novimus, quæ pars Jubæ adscribenda sit minime adhuc cernitur. Patet enim late campus Jubanarum quæstionum, neque factum satis erit priusquam illas provincias eadem diligentia eodem critico studio quibus in historica usi sunt demum exploraverimus. Procul dubio tunc in luce erit Jubam unicum exemplum inter omnes antiquitatis polyhistores dedisse. Nemini enim scriptorum contigit ut de græcis latinisque litteris æque mereretur, et de utrisque egregie. Latini enim, Græcorum disci-

plinis plerumque instructi, eas in usum suum vertebant, parum vero græcis litteris quid conduceret curantes. Græci contra, sæpissime Romanorum scientiæ atque etiam linguæ expertes, dimidiam humanæ quæ tunc erat doctrinæ partem clausam sibi pati cogebantur. Fuit Juba, nisi forte primus, saltem doctissimus eorum qui obstaculum fregerunt; nec forsitan quisquam alius ad hoc opus tunc aptior fuit. Nam utriusque gentis linguæ doctrinæque peritus, et, quod magni momenti fuit, nec Romanus nec Græcus erat, quum Romani Græcis magistros Græci discipulos Romanis se præstare æque fastidirent. Fuit Juba inter eos qui divortio finem fecerunt, quo auctore, ne repetam punicos orientalesve auctores, sed Livium Varronemque Græcis facilius adire licuit. Ejus opera fuerant lacus locupletis loco, in quem utriusque antiquitatis doctrina conflueret, per rivos innumerabiles hinc iterum manatura.

Illud tamen segnius me moveret ut ingenium ejus magni facerem. Nam et alii multi fuerunt qui, sexcentorum operum dum stulte compilant materiam, aurum inter alia nacti, de nobis, etsi imprudentes, bene tamen meruerunt. Juba igitur videndum qua ratione fontes adierit, res inquisiverit, et quæsita composuerit. Nam inde pendet quum fides adhibenda negandave tum de ejus ingenio et vi mentis judicium. Sed hic controversia fervet, quæ nostris maxime diebus exardescere cœpit. Alii enim, inter quos Peterus, quanquam is mitiorem animum in posteriore opere ostendit, cum Muellero stare profitentur, Jubam

non nisi contrahendæ hinc illinc sylvæ studio valuisse dicentes; et vereor ne ipse Mommsenus, qui eum quoque in via nactus raptim inter alia tetigit, cum his aliquatenus consentire videatur. Sed e parte contraria cum Heerenio et Plaggio Barthus Kellerusque adsunt, qui non solum quanti Juba factus sit ab Augusto Plinio Plutarcho Æliano Appiano non spernendis sane judicibus memorant, sed diligentiam fidem et mehercule etiam acumen laudare ejus ausi sunt.

De stilo Jubæ et lingua, in tenebris versari nos confitendum est. Nam quod Plaggius contendit bonum scriptorem fuisse Jubam, aut si cui minus hoc probetur, post suppares scriptores, utique optimos, certe non inter pessimos, esse recensendum, verosimile videtur sed diserto documento caret. Attamen si Plutarchei Antonii revera posteriori parti subest, profecto nec vis dicendi nec efficacitas orationis nec in narrando venustas deerant, sed timeo ne ex his Dellius multum sibi exposcere queat. Præterea ex Appiano nihil conjicere licet : nam is, quod ad stilum spectat, liberrime retractat auctores, propriaque elocutione et sibi ubique constante in opere suo utitur. At puderet Jubæ eloquium in frustis quæ alias supersunt quærere, quibus sæpe apud eum alia forma esse debuit.

Nihil apud recentiores magis ei nocuisse videtur quam quod in fragmentis ejus fabulæ multæ occurrunt, unde anilis credulitatis crimen a Muellero intentum. Sed recte forsan Kellerus cavendum monet

ne « falsa ex paucis illis particulis quæ ex Jubæ operibus ad nos pervenerunt concludas. Constat enim scriptores antiquos (sunt autem omnia quæ exstant fragmenta ex scriptoribus deprompta) iis potissimum locis ad auctores suos provocare ubi rerum traditarum periculum a se avertere student. Quid de Herodoto judicaremus si paucis fragmentis fabulæ quædam exstarent, opus autem periisset? Profecto valde erraremus, si ex illis concluderemus veri studium Herodoto parvum fidem autem historicam minimam fuisse. Idem in Jubam cadere censeo. Qua de causa in condemnanda fide historica nostri caute agendum erit. » Idemque mihi videtur de geographica fide dicendum.

Piget nunc ad naturalem historiam accedere. Nam nihil aut parum factum est ad exquirendum quid utique Juba boni et sani posterioribus dederit. Restant autem ea sola quæ utique sub ejus nomine relinquunt, de rebus minus notis errorique obnoxiis aut nimis mirabilia aut incredibilia aut dubia; alia autem acceperunt, de auctore, ut fiebat, silentes, quia recte et probe ab eo enuntiata habebantur. Quod sæpe alias ex multorum polygraphorum fragmentis factum fuisse comperit, in quibus frequenter invenias res raras aut mirabiles, raro planas notas obvias. Laudabile tamen hoc est quod, multa quum viderit aut credat se vidisse, satis accurate αὐτοψίαν ab auctoritate librorum secernit : quod candidæ ejus fidei inter alia multa documento erit. Sed si omnia quæ dederat illis simillima erant quæ in fragmentis ha-

bemus, sane eum in rebus scrutandis eminuisse contendere nollem. Namque mira omnia et credidisse et quasi quæsivisse videtur; sed in hoc cum universa antiquitate peccavit : communi humani ingenii infirmitate, qua quanto minus novimus tanto minus nosci posse credimus, et nescio qua religione ubique arcana et mirabilia imprudentes nobis fingimus. Accidit ut Jubæ in expeditionem euntis comes quidam leonem sagitta feriret, rursusque per ea loca finito bello transiens a leone occideretur (1). Inde ea de leonibus ultioni in modum plus quam humanum studentibus, quæ Juba non scripsisset nisi ea miraculi sitis qua ardebat antiquorum mens eum animadvertere vetuisset quantum improbabile sit eumdem fuisse leonem : sed absurda magis quam fortuita indoctis credere placet. Similiter et ea quæ de elephantis tradidit, præsertim de longissima eorum vita, etsi aut nimium aut injuria impugnata fuerunt, et multa vera, mira licet, continent, tamen puerilem imprudentiam in rebus observandis arguunt, nec acutum judicium; et ex loco Plutarchi videtur aliquando etiam benevolos de Jubæ in rebus observandis fortuna dubitavisse (2). De doctrina vero nunquam. Permultos enim libros et legisse et diligenter excussisse agnoscitur. Quod meritum, nobis exiguum in naturali historia, apud antiquos multo habebatur; neque aliter Plinius Ælianus et omnes fere alii, excepto uno Aristotele,

(1) Fragm. 36.
(2) Vid. ad fragm. 33.

rerum scientiam potius in libris quam ipsis in rebus quærebant. Ego vero asperius crederem homini vitio vertere quod non alter Aristoteles sit.

Gloriam autem quam apud veteres adeptum esse constat libellum *De herba Euphorbia* et quidquid in illo boni fuisse hariolari datur, non libente animo memorem : Euphorbi enim medici quatenus auxilio usus Juba eum conscripserit non possumus discernere.

Quid in grammatica valuerit non tam plane ignoramus. Quum enim fontem primarium Plutarchus eum in Αἰτιοῖς adhibeat, quomodo Varronianam doctrinam tractet, quid et unde ad eam adjiciat, quænam ipse excogitet, quo ingenio qua arte omnia comparet judicet componat, aliquatenus perspicere datur. Et profecto mirandum videtur a tot doctissimis viris ei omnino negari ingenii robur et acumen, dum Plutarchum e loco conspicuo quem inter auctores obtinet nemo tentat detrudere. At utinam habuisset semper Jubam ducem magistrumque Plutarchus! Ubi enim ei innititur, id est ejus Ὁμοιότησιν, aut Varroniana dicit aut saltem Varrone digna. Sed ubi suo Marte tentat latina vocabula græce explicare transferre exscribere, quales hei mihi videmus prosodiam orthographiam nominumque etiam intelligentiam ! Tunc κάρηρε cernimus et κορώναν et « sine patris » et *ovum* pro *ove* et *prosecare* translatum in græcum κατακολουθεῖν, et plurima deinde alia quæ Jubam abesse nuntiant. Is certe πολύγλωττος erat, ut qui a pueritia quatuor linguis uti consuevisset, punica, græca, latina,

libyca. Quas omnes, hac una excepta de qua nemo cogitabat, perfecte se novisse monstrat numerosissimis exemplis. Non ideo tamen illam grammaticæ partem quam *comparativam* dicimus suam ullo modo fecerat, quam cum universa antiquitate ne suspicatus quidem est. Forsan autem severius esset ignorantiam ei exprobrare quæ per tot post eum sæcula usque ad nostrum duravit. Etenim quum comparationes, quas græcorum latinorumque vocabulorum instituit ut horum ex illis ducenda appareat origo, fere omnes non sint nisi vana prorsus veriloquia, eas tamen a Varrone doctorum doctissimo plerumque acceperat. Sed sicut Varronem habemus, modo latini sermonis intra fines remaneat, eximium grammaticum, sic Jubam separatim græce latineque doctum, etiam argutum, cernimus. Quod apparet ubi contaminat ex græcis latinisque fontibus, ut Dionysio et Varrone : nam hic eum judicavit Barthus artis grammaticæ peritum, qui, Dionysium usurpans corrigensque simul, etiam specimina doctrinæ grammaticæ præbet. Verum nos ex ejus libris proprie grammaticis pauca, et ea parvi momenti, habemus. Nempe in Ὁμοιότησιν grammatica non nisi ancillæ partes egisse videtur, historicæ disciplinæ quam *archæologiam* vocamus serviens, dum Juba rerum romanarum non modo cum græcis similitudines sed et ex his originem demonstrare instituit.

Sicut in historia naturali, sic in geographia Jubanam sub aliorum doctrina latentem haud satis exploratam habemus. Constat tamen eam a Plinio largis-

sime in usum vocatam, præcipue quod ad Orientem, Asiæ regna, Indiam, Arabiam et Libyam pertinebat. Quarum regionum aliquot ipse Juba cognoverat et de visu describere potuit, ceterarum apud auctores quæsiverat notitiam. Ab his autem deceptum fuisse eum minime miremur, ut qui doctissimus quidem illius sæculi fuerit, non ipso sæculo doctior. Nam quum Nilum ait e montibus supra Mauretanias originem ducentem in Æthiopiam inde procedere mox ad Ægyptum converti (1), vix ignorantior videtur quam memoriæ nostræ homines. Neque nobis obliviscendum est Plinium eum de Arabia et extremis orientalium partium populis, non ut unicum sed ut optimum auctorem, elegisse, cujus iteratis vicibus (2) conspicuam etiam nobis diligentiam laudavit.

Sed eum maxime in historia non spernendum fuisse credo. Quanam enim mente et qua methodo scripserit produnt ea quæ de ejus, quem fontis loco apud scriptores vidimus, ipsius fontibus reperta sunt. Recentissimum studium est, nec mediocre acumen doctrinamque parvam requirens, quod aggressi strenue sunt Barthus, Kellerus, Peterus, Glæsserus. Peterus id instructo opere adiit in dissertatione qua quærit « quid in historia rex Juba valeat. » In qua, etsi procul dubio haud satis ei tribuit, tamen de eo recte in genere dixisse videtur. Equidem minime vellem Jubam nimis defendisse, quem magnum nullo

(1) Fragm. 29.
(2) Vid. ad fragm. 26 et 41.

modo virum nec inter primos locandum arbitror; sed unum ex vulgo fuisse et nullius ingenii cum multa quidem doctrina compilatorem, hoc minime credere possum. Mihi res ita fuisse videtur. E melioribus unus, ceteros tamen nihil antecedens, Juba quod ii faciebant eodem modo quo et illi fecit. De historiæ grammatices disciplinarum omnium ratione proposito utilitate legibus quæ illi sentiebant et ipse credidit. Item ea pro certis habuit quæ temporum illorum homines sibi reperisse et confirmasse videbantur, ut, exempli gratia, Latino generi latinæque linguæ Græciam genitricem fuisse. Denique in libris scribendis eodem modo quo plerique fecit. Scilicet in quoque opere aut quaque operis parte unum auctorem adhibuit; sed multa suo ingenio corrigebat, multa præsertim addebat ex secundariis fontibus : fidei insuper documentum præbens quod frequentius quam quisquam alius græcus latinusve scriptor auctores suos indicat. Hos autem sapientissime eligit. Constat enim in *Historia romana* Livium fere semper secutum, ab eo tamen longe recessisse ubi res melius notas narratasque ab alio crederet, ita ut bella Africana ex Iempsalis historiis, civilia ex Augusti commentariis, Parthica ex Dellio sumeret. In *Theatrali historia*, quantum ad musicam spectat, quæ sola pars nobis aliquatenus notescit, Tryphone usus fuerat, ni forsan et Heraclide. In *Assyriacis* Berosum, in *Libycis* et Iempsalem et inter alios Hannonem aut saltem qui ferebantur sub Hannonis nomine libros, in opere *De Arabia* vel potius *de Oriente toto* Nearchum, Onesicri-

tumque et Archelaüm socerum suum optimos duces accepit. In Ὁμοιότησιν autem Varroni primario fonti, secundario Dionysio Halicarnassensi attigit. Ceterorum ejus librorum auctores non novimus. Sed ipse profecto in suis scriptis multo plus quam Peterus credit de suo dederat : qui regionum hominum rerum de quibus scribebat partem se vidisse et attentis procul dubio inspexisse oculis oblivisci quomodo potuit?

Porro e tot operibus, — in quibus quod alii eadem ætate plures, ipse tamen melius, quamvis non aliter, egit, — ante alia unum Jubæ adscriberem ut propriam genuinamque prolem : ea esse mihi videretur propositi ipsius indoles, ea impensa doctrina, ea mentis ingeniositas. Nempe *Similitudines*, ni fallor, condere instituit eodem quo Dionysius *Archæologiam* suam animo. Is scribere se fatetur ut Græci a rebus romanis alieni esse desistant, ne amplius inter barbaros Romanos habeant, sed eos ex se genitos in consanguinitatem recipiant et illorum ipsa gloria decori græcæ nationi sit. Haud aliter Juba voluit quod Dionysius in historia monstrat, ipse in lingua moribus institutis et antiquitatibus populi romani ostendere, et jamdiu a Romanis, Varrone præeunte, creditum etiam Græcis persuadere. Sic locum et ipse habuit in illo studiorum ut ita dicam impetu, qui bellorum furorem, pace ab Augusto facta, excepit, dum securitati et mutuis commerciis liberius indulgent populi, invicem se novisse volunt, et inter se rursus mutuantur quæ ad ingenium excolendum valent. Hæ fuerunt ante omnia Græcorum hominum partes, qui, dum

Romani per litteras poesimque ignotum prioribus sæculis decus linguæ suæ addunt, ipsi vastos historicæ doctrinæ thesauros acri opera constituunt, quorum exempla referam Nicolai Damasceni *Historias* et Diodori *Bibliothecam*.

Reliqua Jubæ opera non tam alti propositi erant, plerumque ad præsentem studiosorum usum conscripta; neque Juba aliud voluit nisi punica aut latina aut immensæ molis ingratæve formæ volumina exprimere ut eorum succum et medullam Græcis græce conditos præberet. Igitur otia sua vulgandæ apud Græcos quum peregrinæ tum et vernaculæ scientiæ Afer homo impendebat. Prædives et doctissimus, ingenio quum eleganti tum eximium in modum culto, artes, omnes disciplinas summo studio jam amplexus, bibliothecam ingentem et musæum comparaverat. Ceterum excellere cupiens, gloriæ famæ laudum avidus, ea quæ neque in armis neque aliter sectari licebat litteris adipisci voluit. Et summa diligentia, ut quæque res magis placuerat, ad eam pertinentia multa ex illo operum cujusque generis thesauro desumpsit et in libros composuit : laudando, utut est, labore immensum consecutus apud rhetores, philosophos, grammaticos, græculos denique omnes, favorem. Nec minorem apud posteros sperabat, ex conditis libris haurituros ut ipse ex bibliotheca, quæ spes eum non fefellit.

Ego vero de ejus operibus jam copiosius forsan locutus sum quam pro libri mei ratione. Quod profecto vitare voluissem, nisi locus iis esset etiam in

ejus vita publica. Augusto enim acceptum et gratissimum hoc sentiendi scribendique genus fuisse quis est qui non videat? Non solum enim litteras humanioresque disciplinas amavit, sed eas πρὸς τὸ χρήσιμον et convertendas putavit et studuit convertere. Nihil autem magis cordi habuisse videtur quam imperium romanum, tot nationes amplexum nuper adhuc inter se hostiles aut saltem nulla necessitudine conjunctas, ceterum genere vita et rebus antea gestis dispares, sermonibus utentes variis, in unum quantum liceret et consistens aliquid conflare. Unitati Italia nucleus, lingua latina commune vinculum, dea Roma numen futuræ erant. Quidquid igitur Italiam nobilitare poterat, linguam et res Romanorum per alienas, sed maxime græcas, dispergere gentes, Romanoque nomini favorem et decus apud illas dare, Augustus carissimum habuit. Verum enim vero si quis græcam, maxime ex Livio (idque quasi scribentem ut quæque edebat secutus) Romanæ gentis historiam condebat, et Varronem, iisdem temporibus quibus ejus *De Re Rustica* libros Virgilius carmine vestivit, ad usum Græcorum vertebat et italici generis gloriam, quid de eo Princeps sentire debuit? Erat autem ille jam χαριέστατος βασιλεύς, et mihi profecto videtur adeo mentem Cæsaris secutus ut qui eum jussu Cæsaris opus suscepisse credat forte parum a vero aberret. Et Juba, qui sibi ipsi indulsit περὶ φθορᾶς λέξεως et περὶ ζωγράφων disserens et θεατρικὴν condens ἱστορίαν pietatisque in patriam pignus Λιβυκά etiam faciens, domestici præterea scrip-

toris partes egisse videtur in libris de Oriente, de Arabia, de Assyriis. Neque nimis ab re nostra digredi mihi videor memorando quam sapienter et providenter Augustus filium suum in Orientem missum auxiliis instruxerit. Tria enim aut quatuor novimus (sed forsitan plura fuerunt) opera ad idipsum scripta. Armeniam enim et Orientis regna, a se antequam bellum fieret accurate explorata, Dionysius Characenus in deperdito sed apud Plinium laudato De situ Orbis opere descripsit. Archelaüs Cappadociæ rex De Populis et Regionibus quibus Alexander Magnus imperaverat opus Gaio dedicavit in Orientem proficiscenti ut alteri Alexandro. Juba, dum bellum fiebat Arabicam expeditionem parans, De Arabia et Maribus Littoribusque usque ad Indiam volumina exaravit; et facile credendum videtur eam quoque occasionem Ἀσσυριακῶν fuisse. Egregie igitur Augustus duos apud Gaium reges ponendos judicaverat, ætate prudentia doctrina præstantes, et insuper domui Cæsarum quodam modo necessarios : uxorem enim habuerat Juba Antonii filiam, uxorem Archelaüs habuit ejusdem Antonii neptem, inclytam illam Pythodoridem Regis Polemonis viduam. Eximia autem Glaphyræ a Josepho memoratæ forma arctius ambos ligavit, quum gener Archelai Juba in aliquot annos factus est.

Satis autem jam dictum videtur de regis Maurusii libris, quorum plures ut Augusti præclara incepta juvaret excogitatos cernimus, nullum sane populo suo nec ad Mauros educandos scripsit. Neque enim

ab eo tractata multum Mauris prodesse poterant; et si ab eis legi cupivisset, non græca fecisset lingua. Græce enim loquebantur complures in Africa homines, multi quoque in Numidia; etiam sermo is erat plurium maritimarum urbium quibus aut græca origo aut cum Græcia Siciliaque quotidianum commercium; maxime Syrtica Emporia tribus semper usa fuerant, punico latino græco, neque tribus semper uti imperio durante desierunt (1); sed Reges nummi ostendunt aut punico aut latino in Numidia usos fuisse, multo magis in Mauretania. Nam ibi punicus sermo ab omnibus intelligebatur, modo non rustici essent; latinus in urbes ubique jam penetraverat, neque alia lingua erat in coloniis romanis; græca autem nusquam utebantur, et ex typis nummis Cleopatræ incusis apparent ipsi incisores parum ejus elementorum gnari (2). Orientis et linguæ græcæ Cyrenaica ultima regio, Philænon ara finis fuit. Sed ubique apud litteratos aut humanioris culturæ viros græcus sermo in honore erat : his scripsit rex atticissimus, et parum curasse videtur utrum Barbari ex Tingitana φθορὰν λέξεως paterentur annon.

Nescio num ipse quidquam ad eos excolendos fecerit, nam minus bene novimus qualem regnandi tenuerit rationem. Jam aliqua de hac re præmisi, et mihi parum videtur ultra exemplum dedisse. Quod quidem, naturæ suæ magnificæ dum indulget, præclarum

(1) *Epit. de Cæs.*, *Sept. Sev.*, XX, 8.
(2) Müll., *Num. Suppl.*, p. 75.

sane præstitit. Ditissimum fuisse constat, et usus Mauretaniæ asserit : in qua nunc satis paupere, etiam in pauperrimis partibus, duces et principes nunquam frustra divitias quærunt. Quibus ille divitiis et amicitia Principis fretus, neque ut videtur de se in deterius judicans, vitam deliciosissimam, honores quam maximos apud populum romanum, divinos apud proprium, ubique grandia aut saltem splendida asserere sibi studuit, litterarum quoque gloriam regali pompæ addere dignatus. Sunt qui eum exemplar fuisse absolutum et perfectum regis populo romano inservientis dicant (1) : an verum sit tibi judicandum. Sed Mauretania nisi ab eo, tamen eo regnante, quædam nova acceperat. Cujus statum inspicienti postquam provincia facta est non omnino frustra appareret Augustum Jubamque fuisse. Nobis autem nova adhuc, sed postea ad crescendum apta, si quæ sunt in divinis, publicis privatisque rebus, satis erit deprehendere.

Quod ad religiones pertinet, silentibus auctoribus, nummi, ruinæ, lapides præcipue interrogandi sunt. Jam per se evidens est antiqua gentis sacra ut prius in honore fuisse : nam et sub Romanis semper Aulisva (2), Bacax (3), Iempsal deus (4) ac Dii Maurici (5) cultum multis in locis habuerunt. Ævi autem antiquioris Mauricarum religionum monumenta quæ-

(1) Boissière, *Esquisse*, etc., p. 154 et app. E.
(2) *C. I. L.*, VIII, 9906, 9907.
(3) *C. I. L.*, VIII, 5504-5518.
(4) *C. I. L.*, VIII, 8834.
(5) *C. I. L.*, VIII, 2637-2640, 9327, 8435, 2669, 2641.

dam supersunt. Sunt sæpius grandia saxa, loco alto a natura in formam plus minus tabularum exstructa, quæ veteres Mauri elegerant ut altarium vices agerent. Unum et descripsi et delineavi, alterum indicavi in *Archives des Missions*, ser. III, t. X (1). In parte rupis superiore, quam planam natura dederat, tres lacuum in formam cavos effecerant, unum sub altero positum ita ut hostiarum sanguis, aut si quid aliud liquidum, ex superiore in inferiorem flueret. Ignis insuper accensus e longinquo conspiciebatur. Memini etiam videre, in specubus aut scopulis cæsis sacrariorum rusticorum in modum, multas singularis formæ incisiones, procul dubio a cultoribus factas (2).

Exterarum religionum, punicæ jamdiu penetraverant, et complura indicia earum inveniuntur. Quibus apud urbanas gentes romanæ sese junxerant, et una atque simul in perpetuum viguerunt. Ægyptiacæ quoque in honore erant, a Carthagine jampridem allatæ, nunc insuper favente regina (3). Quarum omnium certi temporis monumenta regios nummos indicare placet. Jam nummos Selenes vidimus ægyptiaca omnia ferentes : Hippopotamum et Crocodilum, quibus Nilus significatur, Ibin pugnantem cum Serpente alato, qui

(1) *Voyage d'étude*, p. 41-43 et 119; tab. VII, fig. 4, num. 6.

(2) *Ibid.*, p. 42.

(3) Inter alia videndum est parvum Jovis Hammonis monumentum, Cæsareæ in thermis inventum, cujus imaginem dedit diligens vir Ph. Berger in *Gazette archéologique*, ann. D. 1880, *de Trinitate Carthaginiensi* disserens.

deos Thot et Seth memorant, post varia Isidis symbola, cujus cultus magno in honore fuisse apparet. Quidam et sacrum ejus in luco positum monstrant, signati uræo sive aspide altari insidente (1). Jubani autem nummi, præter africana ea de quibus jam dictum est, ut elephantum, leonem, Libyam cum duobus jaculis et spica frumenti, et regia velut cornucopiam, sceptrum, et maritima ut tridentem, gubernaculum, navem, delphinum in ore coronam gerentem (2), etiam plura aut ad publicos aut ad domesticos cultus spectantia ferunt. De Augusto jam locutus sum; sed Baalem et Astarten, punicos deos, indicant Sol et Luna conjuncti, nisi Cleopatra Ptolemæusque frater sunt; Astartes certe est sacellum luna crescente ornatum (3); Bacchi, calix hederea corona et serto ornatus, et forsan quoque taurus (4). Astarte insuper, nomine Virginis Cælestis assumpto, cultum semper ubique in Mauretaniis habuit : testatur et monumentorum ævo romano immensus numerus et crescens luna frequentior in stelis et lapidibus. Tempore ipsius Jubæ et in ipsa regia familia exempla Cæsarea dedit (5). Sed nullam apud Jubam tantum valuisse religionem nummi ab eo cusi indicant quantum Melkarthis Herculis. Causam dixi fabulam

(1) Müll., *Num.*, III, num. 47-49. Probabilissimum mihi videtur hanc esse effigiem monumenti revera exstantis : truncum enim maximi uræi Cæsareæ effossum in hujus urbis musæo asservatum cernere est.

(2) *Ibid.*, num. 30.

(3) *Ibid.*, num. 45, 46.

(4) *Ibid.*, num. 42 et 75, 83.

(5) *C. I. L.*, VIII, 9350, etc.

fuisse qua Mauris Numidisque regibus ex filio ipsius herois origo tribuebatur. Typos circa decem novimus in nummis ejus incusos ad Herculem pertinentes (1). Sunt autem aut spolia, scilicet pellis leonina, clava, arcus sagittaque, aut clava sola, sæpius autem protome clavigeri, interdum pelle leonina caput ornante, interdum diademate solo. Quem quidem ipsum Jubam cum Herculis ornamentis docti plures crediderunt, Muellero non assentiente. Adnotat enim Jubæ non semper esse faciem, neque ullius mortalium, sed ab artifice sæpius excogitatam videri ad divinam quamdam imaginem. Erit ergo aut Herculis, aut potius filii, sive Sophacis sive Iolaï, caput cum pelle leonis (2). Sed alterum, diademate cinctum, minime dubitandum est quin Jubæ sit clavam sustinentis, ut decet et Heraclidam et Herculis Iolaique cultorem. Jam vidimus ejus gentis reges divos sub illa effigie factos, ut imperatores romani Jovis assumpto ornatu.

Hactenus de religionibus. Quod ad jura legesque pertineret, nihil mutatum jam dixi. Sed fieri non potuit quin illic per tot annos romanæ civitates vixerint neque quidquam ex iis in mores et instituta gentium serperet. Sed minus id fuisse dicerem quam forsan credat aliquis. Pax tamen et regiæ auctoritati additum robur satis erant ut multa in meliora converterentur, et de his aliqua dixi. Sed licet cultura, artibus et divitiis major, novus tamen populus

(1) Müll., III, num. 34, 38, 40, 45, 52, 53, 67, 80, 101.
(2) Müll., III, p. 118.

et numero tenuis adhuc molem illam Mauretanæ gentis funditus movere non potuit. Plus quam dimidium sæculum regnaverat Juba noster, sed pluribus opus fuit ut romani coloni et mores totam terram occuparent. Post enim quam Maurorum gentes, Claudio imperante victæ, imperio addictæ sunt, hostili animo manserunt, usque ad Antoninorum tempus male neque perfecte domitæ. Ubi autem Imperatores, pacem libera Gætulia nunquam fore compertum habentes, gentes ejus aut domuerunt aut terrore pacaverunt, tunc populus, agricultura, artes a campis mari vicinis gradatim meridiem versus per saltus et valles nuper Barbaris obnoxias iverunt, ita ut Severorum tempore extremas solitudines, omnibus retro mutatis et ad statum meliorem adductis, tangerent, studentibus Afris principibus bello et pace strenuis. Maximus autem splendor Gordianorum tempore fuit : nam, postquam Gordianus junior a Numidia ad Cæsariensem legatum legionemque transtulit, præsidia, urbes, colonorum majus robur, omnia valida florentia his in partibus constituta sunt. Sed fere tria sæcula ad id operis vix satis fuerant : tantum inest pervicacitatis gentibus et ipsi solo! Nam, quum Numidia Jubana, quæ Constantiniensis provincia est, a Romanis semel occupata, mox Africæ simillima et vere Romana facta sit, et nunc, post acre bellum subdita, nostra libens pacata maneat, Oranensis contra Algeriensisque contumaces adversus omnes et fuerunt et sunt adhuc : neque unius diei labore mores humaniores, meliora instituta,

nova ut ita dicam mens, harum populis infunduntur (1).

Pars vero magna rerum quas Juba creaverat, ut sibi eas fecerat, sic cum eo interiere. Artes, quibus apud eum hospitium fomentaque fuerant, non ita eo mortuo florentes permansere (2). Testes sunt etiam nummi, qui Juba regnante sæpius, Ptolemæo autem raro, doctam manum artificis produnt (3). Cæsareæ tamen vigentes aliquatenus duraverunt : nam et inchoata ædificia deseri non poterant, et effigies Ptolemæi Regis, cujus caput inventum est, optimum de sculptura testimonium affert. Exercitus Jubæ, quamvis Gælulos vincere non potuerit, haud ita tamen spernendus apparet ex his quæ postea adversus Tacfarinatem fortiter et bene gessit. Sed profecto evanuit in bello Ædemoniaco, et nihil ex eo superfuit in cohortibus et alis quæ postea Romanorum jussu in Mauretaniis lectæ sunt. Non ita vero de classe, quam crederem eamdem fuisse quæ, deinceps pars Alexandreæ, securitati littorum, Cæsareæ considens, imperio durante consuluit (4).

Ceterum multo minus Mauretaniæ futuram sortem quam Augusti amicitiam, Juba spectasse videtur, neque Romæ neque Mauris, sed Principi inservire, si

(1) Vid. *Voyage d'étude*, cap. V.

(2) Forsan et publicæ prosperitatis decrescentis indicium erit quod nummi ultimorum annorum pondere imminuuntur. Vid. Müll., III, p. 115, 182.

(3) Müll., III, p. 113, 115, 131.

(4) De ea nuper dixerunt Héron de Villefosse in *Bulletin des antiquités africaines* et H. Ferrero in *Bulletin épigraphique de la Gaule*.

servitus ea fuit, curans. Vera quidem amicitia et antiqua consuetudo, communi educatione et contubernio creata, mutuo studio utrinque servata fuisse videtur. Et Juba sane is erat qui eam refrigescere nullo modo pateretur, quum ab ea et regnum teneret, et divitias et ad artes litterasque otia aurea. Neque mihi, si paucis verbis vitam ejus exprimere vellem, alia magis accepta forent quam quæ solito argutior Festus Avienus sic habet (1) :

Octaviano princeps acceptissimus
Et litterarum semper in studio Juba.

(1) Avien., *Or. Mar.*, 279-280.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III kal. mart. ann. MDCCCLXXXIII, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

ERRATA

Habes, Lector benevole, opus factum dum hinc illinc auctor, vestigia veterum per Mauretaniam indagans, ritu Nomadum et ipse vagatur, post festinatim scriptum per brevissima otia quibus domi consistenti cathedra abstinere licuit, dein Tolosæ typos, Icosii emendationem, Parisiis ultimam recensionem, omnia festinatim passum, ne inter tot peregrinationes vicesque hora fugeret capessendorum honorum. Mendas igitur inesse ne nimis ægre feras, sed auctori atque typothetæ ignoscere velis. Hæ sunt quas deprehendimus, fere omnes in eodem infelicissimo quaternione :

Ad pag. 3,	vers. 7 :	pro *Greeks*,	lege *Greek*.
21	13	*quis*	— *qui*.
42	11	*argini*	— *margini*.
65	9	*Heraclides*	— *Heraclidæ*.
66	11	*curva*	— *curvatura*.
66	22	*ducerent*	— *duceret*.
67	14	*legantibus*	— *ligantibus*.
72	13	*intellegit*	— *intelligit*.
77	16	*triomphalia*	— *triumphalia*.
78	20	*subdentur*	— *subdantur*.
82	17	*vivevat*	— *vivebat*.
83	9	*molibatur*	— *moliebatur*.
93	25	*posteaquæ*	— *posteaque*.
102	1	*uxor Drusilla*	— *uxorem Drusillam*.
151	13	*Gælulos*	— *Gætulos*.

Documentum tibi est, in his quæ de Pythodoridis posteris quum alias tum maxime ad pag. 94 disserui, difficultatum de quibus in

Proœmio feci verbum. Quum enim adhuc non omnes *Ephemeridis Epigraphicæ* fasciculi ad nos pervenerint, dissertatio Mommseni *De Regibus Thraciæ* (t. II, p. 250-263) qua priorem de Pythodoride locupletat et corrigit, scribenti mihi non adfuit. Quam nunc inspicienti comperit Tryphænam non uxorem sed matrem ultimi e regibus Polemonibus fuisse, qui ipsius et Regis Cotyis, Regis Rhœmetalcis f., filius fuit. Filia erat Pythodoridis et Polemonis Eusebis, et procul dubio regnavit, mortua Pythodoride, una cum filio et priore loco. Neque id miraculo est, nam Antonia Tryphæna jura Regis Polemonis et Reginæ Pythodoridis in se quodam modo jungebat, quæ omnia ad filium, ex patre Thracum rege natum, nisi per eam non perveniebant. Quod etiam ad quæstionem de effigie reginarum nummis illata attinet ; nam Tryphæna quum regina proprio suo nomine fuerit, una Gepæpyris superest quam uxorem tantummodo regis in nummis inveniamus. De qua, nisi et ipsa fuit una ex Antonii sobole (quod felici novi alicujus monumenti inventione forsitan patebit), nihil aliud sentiendum videtur nisi regibus Bospori absolutum uti vellent feriendi arbitrium fuisse. Hujusmodi privilegium concessum iis fuisse et verosimile censui, et rationes ejus quæsivi in *Bulletin de correspondance africaine* et apud *Societatem Gallorum Antiquariorum* de aureo Ptolemæi disputans.

INDEX CAPITUM

TOLOSÆ TECTOSAGUM. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

ALBERT (Maurice), *ancien membre de l'Ecole française de Rome*. — **Etude sur le culte de Castor et Pollux en Italie**. Grand in-8°, avec planches. 5 50

CAGNAT (René), *ancien élève de l'Ecole normale supérieure, professeur agrégé de l'Université*. — **De municipalibus et provincialibus militiis in imperio romano**. In-8°. 3 50

— **Etude historique sur les impôts indirects chez les Romains jusqu'aux invasions des barbares**, d'après les documents littéraires et épigraphiques. 1 vol. gr. in-8, avec 5 cartes coloriées. 10 »

Ouvrage couronné par l'Académie des inscriptions et belles-lettres.

— **Explorations épigraphiques et archéologiques en Tunisie**. *Premier fascicule*, 1882. Gr. in-8, avec 11 belles planches en héliogravure. 7 50

CONS (Henri), *professeur à la Faculté des lettres de Montpellier*. — **La province romaine de Dalmatie**. 1882. 1 vol. in-8 avec une carte. 7 50

COURAUD (Am.), *doyen de la Faculté de droit de Bordeaux*. — **De l'épigraphie juridique**. Brochure gr. in-8. 2 »

CUQ (Edouard). — **Etudes d'épigraphie juridique**. De quelques inscriptions relatives à l'administration de Dioclétien. — I. *L'examinator per Italiam*. — II. *Le Magister sacrarum cognitionum*. Gr. in-8. 5 »

DENIS (J.), *professeur de littérature ancienne à la Faculté des lettres de Caen*. — **Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité**. *Deuxième édition*. 2 vol. in-8. 10 »

Ouvrage couronné par l'Institut de France (Académie des sciences morales et politiques).

DESCEMET (Th.). — **Inscriptions doliaires latines**. Marques de briques relatives à une partie de la *gens Domitia*, recueillies et classées. 1 vol. grand in-8°, avec un très grand nombre de figures. 12 50

FERNIQUE (Emm.). — **Etude sur Préneste**, ville du Latium. 1 vol. gr. in-8°, avec une grande carte et trois planches en héliogravure. 7 50

MARX (Edgard). — **Essai sur les pouvoirs du gouverneur de province** sous la République romaine et jusqu'à Dioclétien. Gr. in-8. 3 50

MÉLANGES d'érudition classique. Hommage à la mémoire de Charles Graux. 1 beau vol. in-8 jésus, avec portrait et pl. en héliogr. 45 »

Tiré à petit nombre.

PERSON (E.). — **Essai sur l'administration des provinces romaines sous la République**. 1 beau vol. gr. in-8. 8 »

PETIT DE JULLEVILLE (L.), *maître de conférences à l'Ecole normale supérieure, professeur suppléant à la Sorbonne*. — **Histoire de la Grèce sous la domination romaine**. *Deuxième édition*, revue et augmentée. 1879. 1 vol. in-18 jésus. 3 50

Ouvrage couronné par l'Académie française et par l'Association pour l'encouragement des études grecques en France.

RIEMANN (Othon), *ancien membre de l'Ecole française d'Athènes, maître de conférences à l'Ecole normale supérieure*. — **Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live**. 1 vol. grand in-8°. 9 »

SIDOINE APOLLINAIRE. — **Ses Œuvres** (texte latin), publiées pour la première fois, dans l'ordre chronologique, d'après les manuscrits de la bibliothèque nationale, accompagnées de notes des divers commentateurs, précédées d'une introduction contenant une Etude sur Sidoine Apollinaire ; avec des dissertations sur sa langue, la chronologie de ses œuvres, les éditions et les manuscrits, par M. Eugène Baret, *inspecteur général de l'instruction publique*. 1 beau vol. grand in-8°, sur papier vélin. 16 »